





ELEMENTA
THEOLOGIAE PRACTICAE
AD USUM STUDIOSAE JUVENTUTIS.

TOMUS SECUNDUS

Complectens Tractatus de quatuor Virtutibus Cardinalibus, & de Ecclesiasticis Censuris.



NEAPOLI

Excudebat Publica Auctoritate

JOSEPH ANTONIUS ELIA.

MDCCLXIX.

TRACTATUS
DE QUATUOR VIRTUTIBUS CARDINALIBUS.

CAPUT I.

De Virtute in communi.

VIRTUTIS nomine rectam animi affectionem intelligimus, laudabiles efficientem eos, in quibus inest. In Scholis autem ex mente *Aristotelis* virtus definitur *habitus electivus, in mediocritate consistens, frequenti bonarum actionum exercitio comparatus*. *Platoni* vero virtus illa animi temperatio est, qua *bene beateque vivimus*, vel *ad bene beateque vivendum ducimur*. Non displicuit sal-

tem ex parte ea definitio *Augustino*, qui & inde virtutis naturam elicuit.

Ne quid vero aequivocationis in vocibus subsit, virtus alia est vera, solida, perfecta, ex officio & fine etiam ultimo, qua nempe ad rectam beatamque vitam vere promovemur saltem inchoate: alia incompleta, instabilis, imperfecta, ex officio sive objecto & fine proximo bona, qua tamen ad finem ultimum, in quo beatitudo est, minime ducimur ac movemur: non de hac altera, de qua multa Philosophi inflatis utrinque buccis crepuere, sed de prima illa vera, solida, perfecta virtute, quae proprie ac simpliciter virtus a Patribus dicta est, toto hoc capite sermo est. Nos enim, quibus de verae virtutis natura, ac proprietatibus christiane potius quam philosophice loqui est animus, in medium promere debemus, quid de ea senserint Ecclesiae Patres, ac praesertim *Augustinus*. Is itaque in *opere de Moribus Ecclesiae Catholicae, & Manichaeorum* fundamenti loco ponit, solum Deum animae nostrae summum esse bonum. Indeque concludit Deum supra omnia amandum: virtutes vero nihil aliud esse, quam diversos hujusce divini amoris modos. *Non arbitror*, ait S. Doctor cit. op. *lib. I. cap.* 14. *num.* 24. *cum de moribus & vita sit quaestio, amplius esse requirendum, quod sit hominis summum bonum,*

quo

quo referenda sunt omnia. Id enim esse patuit, & ratione quantum valuimus, & ea quae nostrae rationi antecellit auctoritate divina, nihil aliud, quam ipsum Deum. Nam quid erit aliud optimum hominis, nisi cui inhaerere est beatissimum? Id autem est solus Deus, cui haerere certe non valemus, nisi dilectione, amore, caritate.

Pergit porro S.Doctor *cap.15. n.25.* ad virtutem definiendam, inquiens: *Quod si virtus ad beatam vitam nos ducit, nihil omnino esse virtutem affirmaverim, nisi summum amorem Dei.* Evincit praeterea, quomodo ex vario amoris Dei affectu nascantur virtutes illae, quae dicuntur Cardinales: ait enim eod. loc. *Itaque illas quatuor virtutes . . . . sic etiam definire non dubitem, ut TEMPERANTIA sit amor, integrum se praebens ei, quod amatur: FORTITUDO, amor facile tolerans omnia propter quod amatur: JUSTITIA, amor soli amato serviens, & propterea recte dominans: PRUDENTIA, amor, ea quibus adjuvatur, ab eis quibus impeditur, sagaciter seligens. Sed hunc amorem non cujuslibet, sed Dei esse diximus, idest summi boni, summae sapientiae, summaeque concordiae. Quare definire etiam sic licet, ut Temperantiam dicamus esse amorem Deo sese integrum incorruptumque servantem: Fortitudinem, amorem omnia propter Deum facile perferentem: Justitiam, amorem Deo*

tantum servientem, *& ob hoc bene imperantem ceteris*, *quae homini subjecta sunt: Prudentiam*, *amorem bene discernentem ea quibus adjuvetur in Deum*, *ab iis quibus impediri potest*. His praenotatis, sit

§. I.
De Virtutis Natura, *ac Divisione*.

Prop. I.

Vera Virtus ex Augustino est ordo amoris, *sive ordinata caritas*, *qua homo* fruitur *Deo*, *&* utitur *creaturis*.

Nota cum *Augustino lib. X. de Trinit. cap.* 10. & *lib. I. de Doctr. Christ. cap.* 4. duos esse actus rationalis creaturae, ad quos ceteri reducuntur, *uti*, & *frui*.

Porro *uti* est actus voluntatis aliquid in alterum referentis. Ita ex *S. Augustino D. Thomas* 1. 2. *q.* 16. *art.* 1.

Frui vero est *amore inhaerere alicui rei propter seipsam*. *Aug.* loc.cit. *de Trinit.* idest quando voluntas in aliquo cum quadam dulcedine vel delectatione ultimo conquiescit, ut explicat *D. Thomas* laud. *q.* 16. *art.* 3. Hinc illa duplex *fruitionis*, & *usus* dilectio: quod diligitur propter se & super omnia, diligitur dilectione fruitionis; quod vero propter aliud diligitur, diligitur dilectione usus. Vide si lubet *S. Bonaventuram dist.* 29. *art.* 1. *quaest.* 2.

Ne quid etiam haereamus, caritatis, amo-

amoris, dilectionis nomine, non habitualem, non justificantem, non praedominantem, sed etiam inchoatum amorem Dei, pium in Deum affectum, cordis motionem in Deum ut finem ultimum, sive propter se non ob aliud, exiguo etiam, eoque remisso gradu dilectum intelligimus.

Prob. I. Verae Virtutis nomine intelligimus animi affectionem, qua bene & recte vivimus. Atqui non recte vivimus, nisi fruamur Deo, & utamur creaturis. Ergo virtutis natura in hoc amoris ordine sita est.

Prob. II. Ordinis perversio, qua ab incommutabili bono ad bona commutabilia avocamur, vitium est. Ergo ordinis conservatio, qua a creaturis in Deum rapimur, vera virtus est. *Omnis itaque humana perversio est, quod etiam vitium vocatur, fruendis uti velle, atque utendis frui. Et rursus omnis ordinatio, quae virtus etiam nominatur, fruendis frui, & utendis uti. Aug. lib.* 83. *Quaest.* 30.

Prob. III. Virtus vera hominem perficit, eumque reddit quodammodo meliorem. Atqui rationalis creatura, nisi summo adhaereat bono, eoque aut spe, aut re fruatur, melior reddi non potest. Ergo non datur vera virtus sine hujusmodi amore. *Quemadmodum in ipsis corporibus*, ait S. Doctor *ad Honoratum Epist.* 140. *num.* 56. *quae inferiora sunt, sicut terra, aqua, &*

ipse aër, meliora fiunt participatione melioris, idest cum luce illuminantur, & fervore vegetantur: sic incorporeae creaturae rationales ipsius Creatoris fiunt participatione meliores, cum ei cohaereant purissima & sanctissima caritate, qua omni modo si caruerint, tenebrescunt, & obdurescunt quodammodo.

Prop. II.

Etsi natura verae virtutis in ordinata caritate consistat; virtus tamen non unica est, sed multiplex pro objectorum diversitate, quibus diversimode se exserit.

Prob. Ordinata caritas vel immediate fertur in Deum tanquam in finem, quo frui debemus, vel in creaturas tanquam in medium, quibus utamur in ordine ad Deum. Si primum, Virtus Theologica dicitur: si secundum, Virtus Moralis appellatur.

Nam in Deum immediate tendimus tanquam in primam veritatem, vel tanquam nostram futuram beatitudinem, vel tanquam beatitudinem nostram praesentem saltem inchoate. Primum praestat Fides pio credulitatis affectu: alterum Spes cordis motione ac desiderio: tertium Caritas amoris unione.

Si autem virtus in media tendat, quibus servato caritatis ordine uti debemus, vel exercetur, sagaciter seligendo media ad finem conducentia ab iis, quae illius consecutionem impedire possunt, & in hoc sita

sita est Virtus Prudentiae. Vel exercetur virtus, unicuique suum tribuendo, & dicitur Justitia. Vel exercetur virtus, integrum se praebendo ei quod amatur, & virtus Temperantiae appellatur. Vel denique exercetur virtus, adversa omnia patientissime tolerando, & Fortitudo denominatur. Ceterae virtutes ad has quatuor principales reducuntur, de quibus infra. Relege locum *Augustini de Moribus Ecclesiae* supra prolixe transcriptum. Porro hoc totum breviter declarari potest exemplo solis. Quemadmodum enim sol, unus cum sit, varietate objectorum, magnam virtutum exhibet varietatem: ita pius in Deum affectus, quem etiam caritatem appellarunt Patres, licet unus; pro diversitate tamen objectorum, actuum, ac terminorum varias induit formas.

Prop. III.

Virtus Moralis, quam etiam Civilem appellant, Fide & Caritate destituta, non est vera & simpliciter virtus.

Prob. I. ex *Aug. lib. V. de Civ. Dei cap.* 12. Non datur vera virtus, *nisi quae ad eum finem tendit, ubi est bonum hominis, quo melius non est*: idest in Deum ultimum hominis finem. Sed Virtus Civilis si non ex fine operis, saltem ex fine operantis non tendit in ultimum finem: Ergo non est vera & simpliciter virtus. *Non officiis*, ait idem S. Pater *lib.* 1. *con-*

tra Julianum, sed finibus distinguendas esse virtutes. Officium est autem quod faciendum est; finis vero propter quem faciendum est.

Nota. In omni opere morali duo sunt distinguenda, *officium*, & *finis*. Officium est ipsius operis materia, seu objectum. Finis est illud, in quod opus ab operante dirigitur. Ex. gr. Operire nudum, bonum est ratione officii seu objecti: si opus istud in Deum ordinetur, bonum est finis caussâ.

Insuper duplex finis distinguendus est in quolibet morali opere. Alter proximus & immediatus, qui dici solet finis operis, ut est eleemosyna in pauperis solamen. Alter remotus & ultimus, in quem opus dirigitur, qui finis Deus est.

Prob. II. ex *D. Thoma*, qui 2. 2. *q.* 23. *art.* 7. docet veram non dari virtutem sine caritate; propterea quod caritas illa est, quae hominem ordinat ad suum ultimum finem: ceteras vero virtutes a caritate sejunctas aut apparentes esse & falsas, aut imperfectas.

Virtus falsa & apparens dicitur illa, quae ordinatur ad bonum non verum, sed apparens. *Sicut non est vera virtus*, prosequitur Angelicus, *avarorum prudentia, qua excogitant diversa genera lucrorum; & avarorum justitia, qua gravium damnorum metu contemnunt aliena; & avarorum temperantia, qua luxuriae quae sumptuosa est,* co-

cohibent appetitum; & avarorum fortitudo, qua, ut ait Horatius lib. 1. epist. 1. per mare pauperiem fugiunt, per saxa, per ignes, ut Augustinus dicit in IV. contra Julianum cap. 3.

Imperfecta Virtus vocatur illa, quae licet ad aliquod verum bonum ordinetur, ut est honor parentibus debitus, sublevatio pauperis, Reip. conservatio &c. ab agente tamen non refertur ad perfectum & finale bonum, nempe Deum. *Nam ad rationem virtutis pertinet*, ait *D. Thomas* 1. 2. *q.* 65. *art.* 4. *ut non solum secundum ipsam aliquod bonum operemur, sed etiam bene:* idest *debito modo, ordinando actionem ad ultimum finem.* Ex quibus concludit Angelicus Praeceptor laud. *q. art.* 2. *in c.* quod *virtus sine caritate non potest dici simpliciter & vera virtus, sed imperfecta & secundum quid.*

Q. I. *An isthaec in ultimum finem relatio habeatur implicite in ipsa honestate operis? Puta si quis nudum vestiat, debitum reddat, cum rectae rationi sit consonum: Nonne hujusmodi actiones in Deum diriguntur ex ipsa natura operis honesti, quin alia relatio ipsius voluntatis requiratur?*

R. Neg. Homo enim ut recte vivat, non sufficit ut operetur bonum, sed bene; bene autem non operatur, nisi per caritatem saltem inchoatam, quae volun-

tatem dirigit. *Omnis enim rectus motus voluntatis ex recto amore procedit*, *Aug.* XIV. *de Civ. Dei cap.* 9. Ergo ad rationem verae perfectaeque virtutis praeter objecti honestatem (quod *Augustinus* vocat bonum *ex officio*) requiritur etiam relatio ipsius voluntatis dirigentis opus honestum in ultimum finem.

Q. II. *Ut actio sit bona ex objecto & fine ultimo, num requiratur caritas habitualis, an sufficiat actualis?*

R. Sufficit actualis, & quidem remisso etiam gradu. Semper enim ac aliquis ordinate amat, ejus operatio est undequaque bona.

Prop. IV.

Morales, sive civiles sine vera Religione virtutes, etsi defectu ultimi finis perfectae non sint; vitia tamen, rigorose loquendo, dicendae non sunt, si operum honestatem inspicias.

Prob. Quod vituperare non possumus, sed potius laudare debemus, vitium profecto non est. Atqui civiles virtutes ob operis honestatem laudare potius, quam vituperare debemus. Ergo rigorose loquendo vitia non sunt. *Etiam impiorum*, ait *Augustinus de Sp. & Lit. cap.* 27. *neque Deum verum veraciter pieque colentium quaedam facta vel legimus, vel novimus, vel audivimus, quae secundum justitiae regulam non solum vituperare non possumus,* ve-

verum etiam merito recteque laudamus: quamquam si discutiantur quo fine fiant, vix inveniuntur, quae justitiae debitam laudem, defensionemve mereantur.

Rationem affert *D. Thomas* 1. 2. *q.* 83. *art.* 1. *in c.* quia inclinatio ad virtutem est quoddam naturae bonum, quod per originale peccatum non fuit ablatum, sed diminutum.

Quid ergo prosunt humanae sine vera Religione virtutes?

R. Ad utilitatem civitatis, ad honestatem seculi, ad mentis ornatum, ad minorem in altera vita poenam, *ut mitius ardeant*: ad veram autem justitiam veramque beatitudinem pertinere ne inchoate quidem posſunt. De Romanorum virtutibus haec scribit *Augustinus epist.* 5. *ad Marcellinum* prope finem. *Rempublicam primi Romani constituerunt, auxeruntque virtutibus, etsi non habentes veram pietatem erga Deum verum, quae illos etiam in aeternam civitatem posset salubri Religione perducere; custodientes tamen quandam sui generis probitatem, quae posset terrenae civitati constituendae, augendae, conservandaeque sufficere. Deus enim sic ostendit in opulentissimo & praeclaro imperio Romanorum, quantum valerent civiles etiam sine vera Religione virtutes, ut intelligeretur hac addita fieri homines alterius civita-*

tatis, cujus Rex veritas, cujus lex caritas, cujus modus aeternitas.

Dixi, *rigorose loquendo*, inspecto nimirum praecise objecto & fine proximo: scilicet si actum humanum ex objecto & fine proximo accipias sine defectu illo relationis in Deum, conformitatem sane cum ratione, cum officio legis, cum utilitate societatis invenies, quam commendare possumus, accusare non possumus. Nam actus honestus, cui deest ultimi finis directio, non est actus productus ex habitu inclinante ad actus in se malos producendos: sed ab habitu inclinante ad actus ex objecto bonos, deficientes tamen a ratione finis ultimi, cui non referuntur.

At si morali quadam cogitatione accipias simul & actum honestum, & defectum relationis in Deum, acceptum istud, vitium, peccatum dixit saepe *Augustinus*, *Prosper*, *Fulgentius*, *Leo*, *Gregorius*, non ratione objecti & finis proximi cui conformatur, sed ratione finis ultimi cui non refertur.

Quin etiam vitium hoc praecise non actus, sed agentis est; & quidem agentis non ut agit, sed ut non refert quod agit. At si morali modo cum *Augustino* & actum simul & agentem, & opus & operis defectum ab ultimo fine accipias, complexum hoc, vitium, peccatum cum *Augustino* dixeris, non qua parte est, sed qua parte deficit. Bre-

Brevius: Hae virtutes, quae ex objecto sunt bonae & honestae, ab *Augustino* vitia nuncupantur; quia agens in earum exercitio peccat legitimi finis defectu.

Ex dictis variae quaestiunculae resolvuntur.

I. *Utrum in Deo sit virtus?*

R. Affir. Quia Deus seipso fruitur, atque omnia in sui gloriam operatur; ac proinde virtus in Deo naturaliter est immutabilis. Vide *I. Petri II. 9.* & *II. II. 3.* In Beatis, qui Deo fruuntur, eique perfectissima caritate adhaerent, virtus constans & perpetua est.

II. *An liceat per seipsam expetere virtutem?*

R. Neg. Atque hic Stoicorum error fuit, qui hominis beatitudinem in ipsa virtute consistere docuerunt. Sed perperam; nam virtute, summum bonum, vel potius ejus possessionem consequimur. Falluntur ergo Stoici, qui medium cum fine confundunt. Hinc Stoicorum virtutes utpote superbiae typo inflatas, vitia potius esse, quam virtutes docuit *Augustinus*, qui *lib. XIX. de Civ. Dei cap. 25.* inquit: *Licet à quibusdam tunc verae & honestae putentur esse virtutes, cum ad seipsas referuntur, nec propter aliud expetuntur, etiam tunc inflatae, & superbae sunt; & ideo non virtutes, sed vitia judicanda sunt.*

Neque etiam licet virtutem expetere

ob

ob animi *tranquillitatem*, quae ex honesta actione consurgit, ut *Epicuri* propugnatoribus visum fuit, qui pro summo bono animi voluptatem constituunt. Animi enim voluptas non est summum bonum, ad quod per virtutem tendere debemus. Confundunt ergo effectum cum caussa.

Multo minus licet virtutes exercere ob proprii nominis celebritatem, ad honores & divitias comparandas; cum haec omnino deficiant a ratione summi boni, quod possit hominem reddere ac servare beatum: imo deficiant a ratione mediorum per se ad Deum ducentium. Restat igitur, ut cum *Augustino* dicamus, Deum esse summum hominis bonum, ad quem per veram virtutem ordinamur, ipsum per seipsum appetendo, cetera vero in ordine ad ipsum.

§. II.
De Virtutum Proprietatibus.

Virtutum Proprietates praecipuae tres numerantur, Connexio, Mediocritas, Perfectio.

Q. I. *Utrum inseparabili vinculo inter se sint connexae virtutes, ut qui unam habuerit, habeat & omnes?*

R. cum dist. Virtutes consideratae in statu imperfecto non sunt inter se connexae. Secus vero, si considerentur in statu perfecto.

Prob.

Prob. 1. pars. Virtus imperfecta ex *D. Thoma* 1. 2. *q.* 65. *art.* 1. *in c.* nihil aliud est, quam *aliqua inclinatio ad aliquod bonum agendum*. Atqui virtus hoc modo intellecta, potest una sine altera consistere, ut experientia constat. Ergo virtutes imperfectae non sunt inter se connexae. *Videmus enim aliquem ex naturali complexione, vel ex aliqua consuetudine esse promtum ad opera liberalitatis, qui tamen non est promtus ad opera castitatis*, ait *D. Thomas* ibid.

Prob. 2. pars. Virtus perfecta ex eodem Angelico ibid. est *habitus inclinans ad opus bonum bene agendum*. Atqui opus bonum bene non fit sine consortio ceterarum virtutum. Ergo &c.

Et primo quidem propter prudentiam: nam non datur perfecta virtus sine prudentia, cum prudentia sit omnium operum moralium directiva. Nec datur perfecta prudentia, cui deest aliqua virtus: quia prudentia perfecta dicit appetitum rectum circa omnia agibilia: appetitus vero rectus non est, si ei desit aliqua virtus. *D. Thomas* ibid.

Secundo propter caritatem: nam vera & perfecta virtus est ordinata caritas, quae hominem ordinat ad ultimum finem. Sed caritas (sensu explicato) est principium omnium bonorum operum, quae in finem ultimum ordinari possunt.

Ergo

Ergo virtutes perfectae in caritate nectuntur tanquam in principio, a quo dimanant, & propter quam caritatem in ultimum finem diriguntur. *D. Thomas* laud. *q. art.* 3. *in c.* Brevius: Virtutes omnes in statu perfecto sunt inter se connexae: hujus unionis nexus ex *D. Thoma* est Prudentia & Caritas: illa recte eligit & dirigit omnia, quae sunt ad finem; haec omnia ordinat in ultimum finem.

Nota. Quamvis connexae sint inter se virtutes, ut qui unam vere habet, ceteras possideat; non tamen aequaliter in ipsis justis reperiuntur, sed perfectae erunt in caelesti beatitudine, cum Deus erit omnia in omnibus.

Q. II. *Utrum virtus in mediocritate consistat?*

R. Affir. si excipiantur virtutes Theologicae. Cum enim virtutis moralis objectum, nempe naturalis honestas, sit limitatum ac finitum, limitata ac finita aestimatio ei correspondeat necesse est. Quod si citra vel ultra progrediatur, ordo turbatur, & dicitur peccari contra virtutem per excessum vel per defectum, ut patet in prodigo, & avaro, ille excedendo, hic deficiendo: qui ambo peccant contra liberalitatis virtutem.

Quotuplex sit medium virtutis?

R. Duplex, nimirum medium *rationis*, & medium *rei*. Illud ratione definitur juxta

ta propriam ſubjecti diſpoſitionem ad arbitrium viri prudentis, ut patet in temperantia, in qua eadem cibi quantitas in uno ob ſtomachi ſui debilitatem erit excedens; in alio vero erit ſuae indigentiae commenſurata.

Medium rei eſt aequalitas rei ad rem, quae attenditur in operibus juſtitiae.

Dixi, *ſi excipiantur Virtutes Theologicae*. Nam contra virtutes theologicas aut intellectuales nemo peccare poteſt per exceſſum, ſcilicet non poteſt quis Deo loquenti nimis credere, nimis eum amare, nimis in eum ſperare, nimis eſſe prudens &c.

Q. III. *Undenam virtus ſuam deſumat perfectionem?*

R. A Caritate. *Dicendum*, ſolide pro more *D. Thomas* 2. 2. *q.* 23. *art.* 7. *ad* 2. *quod cum finis ſe habeat in agibilibus, ſicut principium in ſpeculabilibus, ſicut non poteſt eſſe ſimpliciter vera ſcientia, ſi deſit recta aeſtimatio de primo, & indemonſtrabili principio; ita non poteſt eſſe ſimpliciter vera juſtitia, aut vera caſtitas, ſi deſit ordinatio debita ad finem, quae eſt per caritatem, quantumcunque aliquis ſe recte circa alia habeat*. Cujus quidem ſententiae ratio triplex.

I. Quia virtus a caritate disjuncta, pariter ab ultimo fine disjuncta eſt, cui etiam naturae lege jungenda eſt, etſi cum pro-

proximo fine cohaereat.

II. Quia virtus caritate destituta, stabilis & firma non est, utpote carens fundamento, & radice, quo vera virtus sustentatur, & alitur. Apposite *D. Thomas* laud. *q. art.* 8. *ad* 2. *Caritas comparatur fundamento, & radici, in quantum ex ea sustentantur, & nutriuntur omnes aliae virtutes.*

III. Quia nuda sine caritate virtus, non vere bonum sive probum facit habentem; cum hominem non ordinet ad suum principale bonum, nempe ad suum ultimum finem. *Sine caritate, D.Thomas* cit.*q. art.* 7. *ad* 1. *potest quidem esse aliquis actus bonus ex suo genere, non tamen perfecte bonus; quia deest debita ordinatio ad ultimum finem.*

Sicut vero actus aliarum virtutum, ubi non referuntur aliqua dilectione in Deum, vel actu vel virtute, sunt imperfecti, & deficiunt a ratione ultimi finis; ita & habitus aliarum virtutum, ubi destituuntur habitu caritatis, & ipsi imperfecti sunt, & deficiunt a ratione habituali ultimi finis. Vide *D. Thomam* hîc.

Virtus ergo perfecta erit, si hominem firmiter dirigendo in ultimum finem, vere bonum sive probum reddat, quod sine caritate (sensu explicato) haberi non potest.

CAP.II.

C A P. II.

De Prudentia.

VIrtutes Cardinales quatuor sunt, *Prudentia* scilicet, *Justitia*, *Temperantia*, ac *Fortitudo*, quae ideo Cardinales nuncupantur, quia ad easdem, aliae virtutes morales tanquam januae ad cardines volvuntur; seu sunt principia quaedam, ex quibus omnis honestae vitae ratio proficiscitur. Vide *Sap. VIII.* 7. in quo hae virtutes dicuntur *Sapientiae* opera, & a Patribus quatuor Paradisi fluviis comparantur. *Flumen*, *Aug. lib. II. de Gen. cont. Manich. cap.* 10. *quod procedebat ex Eden, dividitur in quatuor partes, & quatuor virtutes significat, Prudentiam, Fortitudinem, Temperantiam, Justitiam*. Conferendus est hîc *D. Thomas* 1. 2. *q.* 61. ubi Cardinalium virtutum notiones perspicue tradit.

Q. I. *Quid sit Prudentia?*

R. Prudentia ex *Augustino* laud. *lib. de Morib. Eccl.* est *amor bene discernens ea, quibus adjuvetur ad tendendum in Deum, ab his quibus impediri potest*. Sive virtus, qua sagaciter seligimus media, quae ad finem conducunt, ab iis, quae illius con-

consecutionem impedire possunt.

Dicitur 1. *Amor*; quia quaelibet virtus est quaedam amoris affectio.

Dicitur 2. *Bene discernens*: non quia actus Prudentiae sit essentialiter amor, sed quia amor ad discernendum moveat: quod Prudentiae proprium est.

Dicitur 3. *Ea, quibus adjuvetur ad tendendum in Deum &c.* Hae particulae objectum Prudentiae produnt, quae tota versatur circa actiones humanas singulares, de quibus, antequam fiant, judicat, num expetendae, an fugiendae sint in ordine ad finem. Prudentia itaque proprie est de his quae sunt ad finem.

Jam vero praecipui Prudentiae actus sunt, *cognitio*, & *electio mediorum*. At non bene eliguntur, nisi quae bene discernuntur. Hinc est, ut actus hujusce virtutis proprius ac praecipuus sit actus rationis. Hinc a Theologis Prudentia inter virtutes *intellectuales* numeratur; quia in intellectu residet ceu lumen & judex, qui dirigit, ordinat, decernit quid prosequi, quid declinare debeamus ad finem obtinendum: aliarumque virtutum moralium doctrix etiam & magistra appellatur, cum Prudentiae sit, ceteras ordinare virtutes ad finem assequendum.

Virtutibus quoque moralibus connumeratur Prudentia, cum ea non consistat in sola consideratione, sed in applicatione ad

ad opus, quod eſt finis practicae rationis, quae rectae rationis applicatio ad opus, non fit ſine recto appetitu. Et ideo Prudentia non ſolum habet rationem virtutis, quam habent aliae virtutes intellectuales; ſed etiam eam quam habent aliae virtutes morales, quibus etiam connumeratur. Ita *D. Thomas 2. 2. q. 47. art. 1. ad 3. art. 3. & art. 4. in c.*

Q. II. *Quotuplex ſit Prudentiae ſpecies?*

R. Triplex. Alia *politica*, quae in bonum Reip. alia *oeconomica*, quae in bonum familiae, alia *monaſtica*, quae in bonum privatum tendit.

Q. III. *Quaenam ſint officia Prudentiae?*

R. Tria ſunt, nimirum recte *conſulere* de honeſtate, vel inhoneſtate rerum agendarum; recte *judicare*, quaenam media pro loco & tempore adhibenda ſint; recte *praecipere* exſecutionem.

Q. IV. *Quaenam ſint partes Prudentiae integrantes?*

Nota. Unicuique virtuti a Scholaſticis aſſignantur partes integrales, ſubjectivae, & potentiales.

Partes integrales dicuntur illae, quae ad eſſentiam virtutis licet neceſſariae non ſint, requiruntur tamen ad illius perfectionem.

Partes ſubjectivae ſunt variae ſpecies ejuſdem virtutis.

Par-

Partes potentiales ſunt quaedam virtutes adjunctae, quae principali accedere videntur.

De Prudentiae partibus ſubjectivis ſatis dictum eſt §.I. De potentialibus vide ſi lubet *D.Thomam* 2.2. *q*.51. De integrantibus vero quaeſtio hîc inſtituitur; & ſunt

Memoria, *intelligentia*, *providentia*, *ſolertia*, *docilitas*, *ratio*, *circumſpectio*, *cautio*, *ſollicitudo*.

I. *Memoria* ſtudioſa eſt praeteritorum eventuum recordatio, quibus mediis felicem vel infelicem exitum habuerunt: experimento ſcilicet multum juvatur prudentia.

II. *Intelligentia* eſt praeſentium notitia, ideſt plena ſtatus rei agendae cognitio, & principiorum moralium, qua intelligatur, quid ſit in unaquaque actione honeſtum, Deoque acceptum.

III. *Providentia* eſt, qua futura aliqua, antequam eveniant, praecognoſcuntur, & idonea media ad finem conſequendum aſſumuntur.

IV. *Solertia* eſt facilis ac promta medii convenientis inventio, quando aliquid ex improviſo occurrit.

V. *Docilitas* eſt affectus ad conſilia aliorum & monita de rebus agendis ſuſcipienda.

VI. *Ratio* eſt promtitudo unum ex alio colligendi.

VII.

VII. *Circumspectio* est attenta circumstantiarum consideratio, ut prudenter resolvi possit, quid expediat, habitâ ratione negotiorum, personarum, loci, & temporis.

VIII. *Cautio* est cura vitandi impedimenta, quae consecutioni finis adversantur.

IX. *Sollicitudo* est solertis animi vigilatio, & celeritas ad agenda ac prosequenda ea, quae necessaria sunt ad consiliorum exsecutionem urgendam ac promovendam.

Q. V. *In quibus reperiatur Prudentia?*

R. In justis omnibus invenitur vera & perfecta Prudentia. Secus in peccatoribus.

Prob. 1. pars. In justis omnibus datur vera virtus. Atqui nulla vera virtus sine vera prudentia. Ergo &c. Vide *D. Thomam* 2. 2. *q.* 47. *art.* 14. Licet plerique homines justi, piaeque mulieres indigeant, ut alieno consilio regantur; *saltem* (addit Angelicus ibid. *ad* 2.) *in hoc sibi consulere sciunt, si gratiam habent, ut aliorum requirant consilia, & discernant consilia bona a malis.*

Prob. 2. pars ex *D.Thoma* laud. *q.art.* 13. ubi inquit: *Prudentia est vera & perfecta, quae ad bonum finem totius vitae recte consiliatur, judicat, & praecipit: & haec sola dicitur Prudentia simpliciter, quae*

in peccatoribus esse non potest.

Q. VI. *Quaenam sint vitia Prudentiae opposita?*

R. Haec communiter recensentur.

I. *Praecipitatio*, quae aggressio est operis ex impetu voluntatis, praetermissis Prudentiae regulis.

II. *Inconsideratio*, quae judicium est de mediis ante illorum examen.

III. *Inconstantia*, quae sententiae est mutatio ob nullum vel leve motivum.

IV. *Negligentia*, quae omissio est diligentiae requisitae ad exsecutionem rei deliberatae urgendam: quae si versetur circa gravem obligationem, est mortalis.

V. *Prudentia carnis*, quae diligens est mediorum excogitatio ad explendos corruptae naturae instinctus. Est mortalis in re gravi, ut *ad Rom. VIII. Prudentia carnis mors est*. Dicitur quoque *prudentia seculi*, de qua Christus *Lucae XVI.* ait: *Filii hujus seculi prudentiores filiis lucis, in generatione sua sunt.*

VI. *Astutia*, quae notitia & usus est pravorum mediorum ad finem intentum assequendum. Astutiae exsecutio si verbis fiat, dolus; si factis, fraus nuncupatur.

VII. *Immoderata de temporalibus sollicitudo*, quae vitium est Prudentiae oppositum, quo animus nimis anxius in acquirendis & conservandis temporalibus occupatur. Contra hoc vitium nos monet Chri-

Christus Dominus *Matth. VI. Nolite solliciti esse in crastinum.*

C A P. III.

De Justitia.

De Justitia, ejusque partibus integrantibus fuse disputabimus Tomo III.

Virtutes autem Justitiae adjunctae ac finitimae sunt *Religio*, *Pietas*, *Observantia*, *Obedientia*, *Veritas*, *Gratia*, *Vindicatio*, *Liberalitas*, *Amicitia*, *Affabilitas*.

De Religione loqui hîc supersedeo, cum ea virtus longiore sermone indigeat. Ad pietatem gradum faciam.

I. *Pietas* est virtus justitiae proxima, quae secundum Deum parentibus, patriae, civibus debitum honorem, officiumque tribuit. Parentes patriae *S. Thomas*; patriam parentibus *S. Ambrosius* praeponit *lib. I. de Off. cap.* 27. *Justitiae pietas*, inquit, *est prima in Deum, secunda in patriam, tertia in parentes, item in omnes: quae & ipsa secundum naturae est magisterium.*

II. *Observantia* est virtus pietati affinis, quae homines in dignitate constitutos debito cultu & honore prosequitur. Quamquam omnes homines mutuo se honore

praevenire debeant secundum illud Apostoli *ad Rom. XII. honore invicem praevenientes:* iis tamen, qui dignitate nos antecedunt, singularis honor debetur.

III. *Obedientia* est virtus justitiae affinis, qua superiorum nostrorum praecepta expressa vel tacita exsequimur. *Voluntas enim superioris*, ait *D. Thomas* 2.2. *q.*104. *art.* 1. *quocunque modo innotescat, est quoddam tacitum praeceptum. Et tanto videtur obedientia promtior, quanto expressum praeceptum obediendo praevenit, voluntate superioris intellecta.*

Obedientia est omnium virtutum moralium maxima, ut ibidem docet Angelicus, quae propter Deum majus bonum, propriam scilicet voluntatem contemnit, quam ceterae virtutes, quae nonnisi vel bona fortunae, vel bona corporis respuunt. Haec autem duplex est. Altera *generalis*, inclinans ad servandum quodcunque praeceptum: qua ratione obedire pertinet ad omnem virtutem. Vitium ei oppositum est *inobedientia generalis*, quae est levis in re levi, gravis in re gravi. Altera est *specialis*, qua subditi superiorum mandata exsequuntur. Huic opponitur *inobedientia formalis*, quae semper peccatum mortale est: quia est formalis contemtus praecepti, & potestatis praecipiendi.

IV. *Veritas* est virtus justitiae finitima, qua homo talem se vita & sermone exhi-

exhibet, qualis est. Huic virtuti e regione opponitur *mendacium*, de quo peculiarem sermonem habebimus, cum de Juramento, & Perjurio inferius agemus.

V. *Gratia* sive, ut vulgo dicitur, *Gratitudo*, est virtus, quae inclinat ad beneficia compensanda, & gratiam benefactoribus reddendam.

Gratiae opponitur *Ingratitudo*, cujus varii numerantur gradus. *Ingratus enim est qui simulat, ingratior qui non reddit, ingratissimus omnium qui oblitus est. Seneca de Beneficiis lib. III.*

VI. *Vindicatio* est virtus, qua injuria aut vis, defendendo, vel juste puniendo propulsatur. Licita est, quando non fit ex odio, nec privata auctoritate, sed publica ad Rei emendationem, aliorum tranquillitatem, & justitiae conservationem. Criminum punitio, quatenus ad publicam justitiam pertinet, actus est justitiae *commutativae*; quatenus vero spectat immunitatem alicujus privatae personae, a qua, injuria, servatis debitis circumstantiis, propulsatur, peculiaris virtutis actus est, scilicet *vindicationis*. Huic virtuti opponuntur vitia duo, nimirum *crudelitas* seu *saevitia*, quae modum in puniendo excedit, & *nimia in puniendo remissio*.

VII. *Liberalitas* virtus est justitiae affinis, quae in convenienti bonorum externorum, quae ad vitae sustentationem con-

cessa sunt, distributione & usu versatur. Modus in Liberalitate servandus est, ut *neque superflua sit circa importunos, neque restricta circa indigentes. S. Ambrosius lib. II. de Off. cap.* 15. Duo cum liberalitate vitia pugnant, *avaritia* scilicet, & *prodigalitas*.

VIII. *Affabilitas* est virtus, qua homo ad alios homines in civili commercio & conversatione ita dicta sua & facta moderatur, ut neminem sive verbis sive gestis offendat. Duo huic virtuti vitia opponuntur, *adulatio*, qua blandimur iis quibuscum agimus, & *morositas* seu *litigium*, quo quis alios contristare non veretur, omnia illorum dicta & facta vellicando. Si plura cupis, lege *D. Thomam* 2. 2. *q.* 81. & seqq. ubi fuse disputat de virtutibus justitiae finitimis.

CAP. IV.

De Temperantia.

Q. I. QUid *sit Temperantia?*

R. Temperantia ex *Augustino* est *Amor, Deo sese integrum incorruptumque servans.*

Dicitur 1. *amor*; quia amor Dei principium est omnis verae perfectaeque virtutis.

Dicitur 2. *sese integrum &c.* Hae particulae rationem produnt, qua Temperantia a reliquis distinguitur virtutibus: respicit enim humani cordis integritatem & incorruptionem. Haec autem integritas servatur, moderando appetitum in usu rerum, quae sensuum, gustus praesertim & tactus, delectationem pariunt. Ut sunt cibus, potus, & res venereae, quibus appetitus hominis maxime corrumpitur. Ita *Augustini* definitionem explicat Angelicus 2.2. *q.*141. *art.* 2. *ad* 1.

Ex quibus colliges I. Temperantiae materiale objectum, sensuum esse delectationes, praesertim quae ex cibo, potu, rebusque venereis percipiuntur: quippe quae intensiorem suavioremque in anima excitant sensationem, quam ceterae res delectabiles.

Colliges II. objectum formale, seu hujus virtutis officium & finem proximum esse honestum usum delectabilium, seu usum rationi & divinae legi consentaneum. Quomodo autem sit intelligendus ille honestus usus, explicat *Augustinus lib. de Morib. Eccl. cap.* 21. inquiens: *Habet vir temperans in rebus mortalibus & fluentibus vitae regulam, ut rerum nihil diligat, nihil per se appetendum putet; sed ad vitae hujus, atque officiorum necessitatem, quantum satis est, usurpet utentis modestia, non amantis affectu.* Ex quo *Augustini* loco

Colliges III. in delectabilibus hominem non posse per se voluptatem, sed solum usum expetere; cum recta ratio doceat in actionibus deliberatis quaerendam esse honestatem. Apposite *Seneca Epicuro* improperat: *Tu voluptate frueris, ego utor. de Vit. Beat. cap.* 10.

Colliges IV. honestum delectabilium usum caritate in Deum referendum esse, ut temperantia sit virtus christiana. Ideo *Augustinus* ajebat, Temperantiam esse amorem Deo sese integrum servantem.

Q. II. *Quaenam sint Temperantiae species?*

R. Sunt *abstinentia*, *sobrietas*, & *castitas*.

I. *Abstinentia* est virtus, quae appetitum moderatur in usu cibi ac potus, ut homo de his sumat quantum decet & oportet, habita ratione valetudinis, personae, & aliorum quibuscum vivit. Actus abstinentiae est *jejunium*, de quo infra erit peculiaris tractatio. Abstinentiae opponitur *Gula*, capitale vitium, de quo verba fecimus in *Tract. de Peccatis Capitalibus*.

II. *Sobrietas* est virtus, quae usum potus moderatur, vim inebriandi habentis. Huic opponitur *Ebrietas*, de qua pariter egimus in *cit. Tract. de Peccat. Capit.*

III. *Castitas* est virtus, quae regit ac re-

refrenat appetitum in usu venereorum. Castitati opponitur *Luxuria*. De Castitate, ejusque finitimis virtutibus, ac contrariis vitiis sigillatim infra loquemur.

Q. III. *Quaenam sint virtutes Temperantiae adnexae?*

R. Sequentes. I. *Continentia*, quae dupliciter sumitur, & 1. quidem *stricte*, quatenus virtus est, qua ab omnibus prorsus delectationibus venereis abstinetur. 2. *late*, quatenus est virtus, quae rationem confirmat, ne pravis concupiscentiae motibus, & carnalibus desideriis animus vincatur.

II. *Clementia* est virtus, quae superioris animum inclinat ad lenitatem in poena exigenda, quantum permittit justitia, recta ratio, disciplinae bonum, delinquentis salus, & publica aedificatio, spectatis circumstantiis facti, caussae, personae, ceterisque. Quod si lex, poenae speciem ac quantitatem arbitrio judicis relinquat, major tunc exercendae Clementiae locus patet. Poenas vero reis justa de caussa debitas omnino remittere, solius supremi Principis Clementiae est.

Clementiae per excessum opponitur *Crudelitas*, quae ultra modum poenas exigit: per defectum *Laxitas*, qua poena aut remittitur, aut minuitur, quando justitiae, ac disciplinae ratio illam exigendam postulat.

III. *Mansuetudo* virtus est irae mode-

ratrix. Hanc prae ceteris Christus suo exemplo & sermonibus commendavit. *Discite*, inquit, *a me, quia mitis sum, & humilis corde*.

IV. *Modestia* est virtus, quae tum interiores animi motus, tum externas actiones moderatur, ita tamen, ut aspectum minime offendat. Haec autem virtus ita omnes actiones coërcet, ut nihil sit torvum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inverecundum; non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior: ut ipsa corporis species simulacrum sit mentis, figura probitatis. De Modestiae christianae characteribus vide *S. Ambros. lib. I. de Offic. cap.* 19.

Porro Modestia etiam externum corporis cultum & ornatum moderatur, ut personae, statui, moribus eorum, quibuscum vivitur, congruat.

V. *Humilitas* est modestiae soror, virtus scilicet, qua demittitur, ac firmatur animus, ne sese efferat.

VI. *Taciturnitas* virtus est sermonis moderatrix. Taciturnitati *Garrulitas* sive effrenis loquendi pruritùs opponitur.

VII. *Studiositas* virtus est, quae appetitum, & studium cognitionis acquirendae moderatur.

Huic virtuti opponitur *Curiositas*, quae dicitur inordinatus cognoscendi appetitus. Quod quatuor modis contingere potest, ut

ut obſervat *D. Thomas* 2. 2. *q.* 167. *art.* 1. inquiens: *Uno modo in quantum per ſtudium minus utile retrahuntur a ſtudio, quod eis ex neceſſitate incumbit. Unde Hieronymus dicit: Sacerdotes, dimiſſis Evangeliis, & Prophetis, videmus comoedias legere, & amatoria bucolicorum verſuum verba cantare. Alio modo in quantum ſtudet aliquis addiſcere ab eo, a quo non licet: ſicut patet de iis, qui aliqua futura a Daemonibus perquirunt, quae eſt ſuperſtitioſa curioſitas .... Tertio quando homo appetit cognoſcere veritatem circa creaturas, non referendo ad debitum finem, ſcilicet ad cognitionem Dei .... Quarto modo in quantum aliquis ſtudet ad cognoſcendam veritatem ſupra ingenii facultatem: quia per hoc homines de facili in errorem labuntur.*

VIII. *Eutrapelia* ſive *jucunda urbanitas* virtus eſt temperantiae affinis, jocorum ludorumque ſecundum rectam rationem moderatrix. *D. Thomas* 2. 2. *q.* 168. *art.* 2. Ludi enim & joci utiles eſſe poſſunt ad quandam animi remiſſionem rebus agendis defeſſi, ſi debita moderatione uſurpantur. *Volo tandem tibi parcas*, ajebat *S. Auguſtinus lib. II. de Muſica cap. ult. Nam ſapienter decet, interdum remittere aciem, rebus agendis intentam.*

Tria tamen in ludorum, jocorumque uſu ſunt cavenda ex eodem Angelico ibid.

1. Ne ludorum delectatio quaeratur in aliquibus operationibus, vel verbis turpibus, vel noxiis, ſive ut vitetur genus jocandi illiberale, petulans, flagitioſum, obſcenum.

2. Ne animi gravitas omnino reſolvatur. *Caveamus*, ait *Ambroſius lib. I. de Offic. cap.* 20. *ne, dum relaxare animum volumus, ſolvamus omnem harmoniam, quaſi concentum bonorum operum*.

3. Ne ludi circumſtantiis indebitis exerceantur. Sit ludus *tempore & homine dignus* ex *Tullio* monet Angelicus loc. cit.

Nota, Eutrapeliam inter morales virtutes numerari non ab Eccleſiae Patribus, ſed ab *Ariſtotele*, quem ſecuti Scholaſtici eam a virtutum albo, cui Philoſophus inſcripſerat, expungere veriti ſunt.

Ideo autem Patres eam inter virtutes collocare noluerunt, quod Apoſtolus ne nominari quidem inter Chriſtianos jubet *ad Eph. V.* 3. *&* 4. Jungit enim Apoſtolus Eutrapeliam, quam Vulgata vertit *Scurrilitatem*, cum turpitudine, & ſtultiloquio. Contra Scholaſtici Eutrapeliam in bonam partem accipientes, ſcilicet pro *urbanitate, comitate*, verba *Ariſtotelis* cum Patrum ſententiis conciliare conati ſunt: quod peroptime fecit *D. Thomas* in explicatione hujus virtutis ſuperius adducta.

CAP. V.

CAP. V.

De Fortitudine.

Q. I. QUid *ſit Fortitudo?*
R. Fortitudo ex *Auguſtino* eſt *Amor, omnia propter Deum facile perferens.*

Dicitur 1. *amor*, qui hominis voluntatem confirmat, atque accendit.

Dicitur 2. *omnia &c.* ſive amor, qui voluntatem confirmat contra adverſa omnia, ac mortem ipſam: eamque accendit ad labores arduos ſuſcipiendos propter Dei gloriam.

Fortitudinis officia ſive actus duo ſunt: *aggreſſio*, & *perpeſſio*. Aggreſſione animus adit res arduas, & pericula gravia: perpeſſione ſuſtinet adverſa, tormenta, calamitates, & mortem ipſam.

Hinc *materiale* Fortitudinis objectum ſunt pericula, & labores. *Formale* vero, ſive finis proximus, eſt illa honeſtas, qua homo circa labores & terrores moderate ſe gerit, timorem nimium cohibendo, audaciae impetum moderando.

Fortitudo alia eſt *domeſtica*, alia *bellica*. Illa animum firmat contra mortis pericula in particulari; haec in communi im-

impugnatione. Videsis *D. Thomam* 2. 2. *q.* 123. De martyrio, quod est heroicae fortitudinis actus, dicemus in *Tract. de Sacram.*

Q. II. *Quaenam sint virtutes Fortitudini adjunctae?*

R. Sequentes. I. *Magnanimitas*, quae virtus est, inclinans ad actus heroicos in omni genere virtutum.

Magnanimitati opponuntur per excessum *praesumtio*, *ambitio*, & *inanis gloria*; per defectum vero *pusillanimitas*.

II. *Magnificentia* est virtus inclinans ad magna opera magnis sumtibus efficienda, secundum rectae rationis, & divinae legis praescriptum. Magnificentia alia *sacra*, alia *civilis*: illa in pios, haec in politicos usus ingentes erogat sumtus. Huic opponitur per excessum *profusio*, per defectum *parvifacientia*: vitium, quo ob animi angustiam non audet susceptum opus persequi.

III. *Patientia* virtus est Fortitudini affinis, qua mala praesentia aequo invictoque animo tolerantur. Duo vitia eidem opponuntur; unum per excessum, nempe

Impatientia, qua quis plus justo de malis dolet ac tristatur.

Alterum vitium per defectum, nempe *insensibilitas* seu *animi durities*, qua quis ob animi torporem, nec propriis, nec alienis malis commovetur.

IV.

IV. *Perseverantia* est virtus, qua homo quibuscunque malis non obstantibus, in opere incepto firmiter perseverat. Eidem adversatur per defectum *inconstantia*, per excessum *pertinacia*.

Inconstantia, qua quis absque justa caussa ab opere suscepto desistit.

Pertinacia, qua homo agendi propositum retinet, & persequi contendit, quando non oportet, vel plusquam oportet.

TRA-

TRACTATUS DE VIRTUTE RELIGIONIS.

CAP. I.

De Religionis Natura.

Q. I. QUid *sit Religio?*
R. Religio est amor obedientiae ac reverentiae erga Deum, ajente *Augustino: Quis est cultus ejus, nisi amor ejus?* Verum si cum Scholasticis presse loqui velimus, est *virtus moralis mentem inclinans ad cultum Deo exhibendum, tanquam supremo rerum omnium principio ac fini debitum.*

Dicitur 1. *Virtus moralis*, & quidem inter morales prima, quia propius accedit ad Deum, quam aliae virtutes morales. Ea enim operatur, quae directe & immediate in divinum honorem ordinantur: theologica tamen non est, cum non habeat Deum pro objecto immediato, sed cultum Deo debitum.

Dicitur 2. *ad exhibendum cultum*, idest honorem cum submissione in testimonium divinae excellentiae.

Di-

Dicitur 3. *cultum debitum:* quia cultus absolute Deo debetur, ita ut qui nullum ei cultum exhiberet, peccaret contra hoc praecipuum hominis officium erga Deum, in primo Decalogi mandato praescriptum.

Dicitur 4. *tanquam supremo &c.* Hae ultimae particulae produnt motivum, propter quod hic cultus Deo exhibetur. Hinc *D. Thomas* 2. 2. *q.* 81. *art.* 5. *ad* 2. dicit, *quod Religio ordinat hominem in Deum, non sicut in objectum, sed sicut in finem.* Porro actus, quibus Deus colitur, eliciuntur quidem a virtute Religionis, sed imperantur a virtutibus theologicis, praesertim a caritate, quae trium harum major est. Ita *D. Thomas* loc. laud. *ad* 1. illud *Augustini* explicat, quod *Deus colitur fide, spe, & caritate.*

Ex allata definitione inferes 1. *materiale* Religionis objectum esse actus, quibus Deus colitur: 2. *formale* vero illam specialem esse honestatem, quae lucet in cultu divino praestando: 3. tandem Deum esse objectum remotum, seu finem, cui cultus exhibetur.

Q. II. *Quomodo Deus coli debeat?*

R. Actibus internis, & externis. Cum enim homo mente, & corpore constet, utriusque actibus debet colere Deum, qui est utriusque principium. Rursus cum divina beneficia alia privatim, alia publice con-

conferantur, ordo postulat, ut privatis & publicis etiam actibus gratum animum testificemur. Tertio denique cum alia a Deo conferantur bona singulis, alia singulorum societati, id ratio postulat, ut Religio tum singularibus, tum communibus societatis actibus exerceatur. Hinc Religio, teste *Augustino*, communibus quibusdam signis veluti vinculis in societatibus colligatur.

Porro cum actus omnes Religionis vel interni sint, vel externi, ut diximus; idcirco de utroque actuum Religionis genere agemus in hac praesenti tractatione: & I. de Actibus internis. II. De Actibus externis. III. De vitiis Religioni oppositis.

AUCTARIUM

De Religione, quam vocant Naturalem, sive de Officiis hominis erga Deum a naturali lege praescriptis.

RELIGIONIS naturalis nomine vel intelligitur complexus officiorum omnium, quae Deo debent homines, ut Deo placeant, Deo vivant, ac justi ambulent coram Deo: & nullus dubito, Religionem hanc naturalem appellari non posse, sed omnino supernaturalem esse. 1. Quia sine fide impossibile est placere Deo. 2. Quia sine

ſine Chriſto nemo juſtus, nemo ſalvus eſſe poteſt: cum non ſit aliud ſub caelo nomen, in quo nos oportet ſalvos fieri. 3. Quia ſi ex lege eſt juſtitia, Chriſtus inaniter mortuus eſt. 4. Quia natura ſola nec omnia nobis dictat officia, quae Deo debemus, nec certo, nec facile, nec cito, ut impleantur. 5. Etiamſi aperiret omnia omnibus, ſine gratia obſervari non poſſent. 6. Etiamſi obſervari poſſent, ſtante hominum originali infirmitate, nec etiam vellent. 7. Imo nec infirmitatem, nec remedium par infirmitati, nec ipſum ſalutis terminum Ratio ſola deprehendit ſine Revelatione. 8. Adeo vero officia quae Ratio dictat, cum iis quae Revelatio aperit, colligantur, ut nec illa ſine iſtis impleri, ut oportet, poſſint: ut videre eſt in officio caritatis &c.

Si vero naturalis Religionis nomine complexus intelligatur eorum duntaxat officiorum, quae ex recta Ratione cognoſci poſſunt, tunc potius naturalem legem appellarim, quam naturalem Religionem. Naturalis enim legis eſt hominem obligare ad ea, quae Ratio dictat. At Religio non eſt mera obligatio, ſed actus, ſed exercitium, ſed implementum cultus Deo debiti. At actus, exercitium, implementum ejuſmodi ut oportet, naturale non eſt, ſed prorſus ſupernaturale: cum Deus per ſe diligi non poſſit ſine ipſius auxilio. Ergo &c.

Q. L.

Q. I. *An recta Ratio dictet Deum esse colendum?*

R. Affir. Idque eruitur ex infinitis Dei perfectionibus, quae naturae lumine cognosci possunt. Et 1. Deus est hominis conditor & conservator. Ergo laudes, & gratiarum actiones ei sunt referendae. 2. Summa Dei bonitas in ejus amorem rapit, summaque ejus perfectio reverentiam exigit. Atqui Numinis cultus nihil aliud est, nisi amor reverentiae & obedientiae. Ergo Deus est colendus.

Hinc Apostolus *ad Rom. I.* 18. & seqq. redarguit Philosophos gentiles, quod licet cognoverint Deum exsistere, eum tamen non coluerint ut Deum, sed ejus majestatem commutarint in idola, & speciem hominum, animalium, quadrupedum &c. Item quod ejus praeceptis non paruerint, sed se polluerint nefandis peccatis. Additque obligationem istam inscriptam esse in hominis corde; ita ut illam vel ignorantes vel negligentes, sint inexcusabiles. Apposite *Augustinus lib. X. Confess.* ita ad Deum loquitur: *Caelum, & terra, & omnia quae in eis sunt, undique mihi dicunt, ut te amem; nec cessant dicere omnibus, ut sint inexcusabiles.*

Q. II. *Quinam a recta ratione praescribatur cultus erga Deum?*

R. Cultus internus, & externus. Item privatus, & publicus. Cultus enim est com-

complexus omnium officiorum, quae ex amore reverentiae & obedientiae erga Deum proficiſcuntur.

Cultus *internus* dicitur ille, qui in mente eſt, ut Deum amare, timere, in eo confidere &c.

Externus vero dicitur ille, qui in actibus externis ſe exſerit. Neceſſe enim eſt, ut homo in divino cultu aliquibus corporalibus quaſi ſignis utatur, quibus excitetur mens hominis ad ſpirituales actus, quibus Deo conjungitur, ut optime ratiocinatur *D. Thomas* 2. 2. *q.* 81. *art.* 7. *in c.* Hinc hymni & ſacrificia inſtituta in honorem Dei.

Privatus cultus, qui privato nomine offertur.

Publicus vero, qui vel in publico coetu, vel totius coetus nomine exercetur. Hinc dies feſti, publica jejunia, publicae ſupplicationes, ſacrificia &c.

Q. III. *Quinam ſit Legis naturalis uſus?*

R. I. Ad confirmandam 1. Legem revelatam, ſive Evangelium. 2. Ad convincendos improbos homines ab omni Lege ac Religione abhorrentes.

R. II. Religio ſive Lex naturalis non ſufficit ad aeternam ſalutem aſſequendam; 1. quia medium proportionatum non oſtendit Deum propitiandi. Recta enim Ratio ſatis nos convincit, humana merita ſa-

satisfaciendo non esse infinitae Dei justitiae.

2. Praecipit quidem quid agendum sit, sed vires non suppeditat ad agendum necessarias. Hinc homo sibi relictus, solis naturae viribus, nunquam ad Deum convertitur, nisi divinae gratiae auxiliis adjuvetur. Quare *Augustinus* loc. cit. cum dixisset caelum, & terram omnibus praedicare, ut Deum ament, adjecit: *Altius autem tu misereberis, cui misertus eris. Alioquin caelum, & terra surdis loquuntur laudes tuas.*

Praeterea exercitium istud naturalis Religionis debet esse Deo dignum, ut divinam mereatur approbationem. Sed Deo dignum non erit exercitium istud, nisi tendat in Deum tanquam in ultimum finem, eoque fruatur; ceteris vero utatur tanquam mediis in ordine ad Deum. Quod omne sine auxilio gratiae fieri nequit.

Si homo enim sine gratiae adjutorio posset Deum diligere tanquam suum ultimum finem, posset suis viribus quodammodo melior fieri, summo bono per amorem finaliter adhaerendo, ut ratiocinatur *Augustinus contra Pelagianos.*

Atque hoc verum est, etsi dicas amorem istum ferri in Deum ut naturae auctorem, non vero ut supernaturalis vitae largitorem. Nam idem est objectum summum, ad quod creatura convertitur, licet il-

illud ſub diverſa ratione reſpiciat.

Abſolute vero, & nulla diſtinctione adhibitâ, Scriptura, Patres, & Concilia docent donum Dei eſſe caritatem. *Caritas ex Deo eſt*, dicitur *I. Joan. IV. amor Dei, quo pervenitur ad Deum, non eſt niſi a Deo Patre per Jeſum Chriſtum cum Spiritu Sancto. Per hunc amorem Creatoris bene quiſque utitur etiam creaturis: ſine hoc amore creatoris nullus quiſquam bene utitur creaturis. Auguſtinus lib. IV. contra Julianum, cap. 3. Sine caritate nec Deus diligi poteſt, nec proximus... Deum nonniſi caritate diligimus. S. Fulgentius lib. II. de Verit. Praedeſt. cap. 9. Prorſus donum Dei eſt diligere Deum. Concil. Arauſic. II. can.* 25. Qualis ergo amor ille eſt, quo Deus diligitur, & proximus, & caritas non eſt?

3. Aeternam ſalutem non promittit. Solo naturae lumine ignoramus, an velit Deus pro brevis temporis obſequio aeternam felicitatem impertiri. Ex quibus omnibus ſequitur neceſſitas revelatae Religionis, quae tres hoſce characteres habeat, ut nimirum 1. proportionatum medium oſtendat Deum placandi. 2. Ut vires praebeat ad ſanctificationem neceſſarias. 3. Ut aeternam ſalutem promittat. Quae omnia habentur in chriſtiana Religione, quae ſola vera eſt, & in qua Deo magiſtro, Deo malorum noſtrorum medico, Deo felicitatis aeternae largitore, Deus digne colitur.

CAP.II.

C A P. II.

De Internis Religionis Actibus.

ACtus Religionis interni duo ſunt, *Devotio* ſcilicet, & *Oratio*.

§. I.
De Devotione.

Q. I. *Quid ſit Devotio?*

R. Devotio eſt *voluntas ſe promte tradendi ad ea, quae ad Dei famulatum pertinent*. Angelicus 2. 2. *q.* 82. *art.* 1. *in c.*

Dicitur 1. *Voluntas*, ideſt efficax & expedita intentio. Unde Devotio non conſiſtit in quadam cordis teneritudine, aut in ſenſibili affectu, qui aliquando inter orandum ſentitur; ſed in pio animi affectu, & promta Deo famulandi voluntate.

Dicitur 2. *promte*, ideſt expedito alacrique animo.

Dicitur 3. *tradendi ſe*, ideſt totum hominem, non tantum partem hominis.

Dicitur 4. *ad ea, quae pertinent ad Dei famulatum*. Haec ultima verba Devotionem indicant actum eſſe Religionis generalem, a quo ceteri omnes informari debent, ut promte exſecutioni mandentur,

quae

quae in Dei honorem cedunt.

Q. II. *Quaenam sit Devotionis Caussa?*

R. Duplex est ex *D. Thoma* ibid. *extrinseca* scilicet, & *intrinseca*. Caussa extrinseca, & principalis, Deus est, qui quos dignatur, vocat, & quem vult, religiosum facit. Caussa intrinseca est meditatio, videlicet tum divinae bonitatis, clementiae, aliorumque divinae naturae attributorum; tum nostrae egestatis, & infirmitatis.

Hinc itidem duplex Devotionis effectus. Primus est *spiritualis laetitia* ex consideratione divinae bonitatis. Secundus est *salutaris tristitia* ex propriorum defectuum consideratione.

§. II.
De Oratione.

Q. *Quid sit Oratio?*

R. Oratio est *petitio decentium a Deo.*

Dicitur 1. *petitio*, idest intimatio desiderii ad obtinendum aliquid ab eo, quem precamur.

Dicitur 2. *decentium*. Haec particula indicat, decentia esse debere, quae Oratione postulantur; ne sit potius execratio, quam oratio.

Dicitur 3. *a Deo*, sive immediate, cum scilicet oratio ad Deum dirigitur; sive mediate, cum scilicet ad amicos Dei, nempe Sanctos, orationes dirigimus, ut eo-

rum suffragiis, postulata a Deo impetremus.

Hinc patet Orationem sub uno respectu ad Religionem spectare; quia per orationem confitemur, Deum esse rerum omnium principium, nosque ipsos inferiores, eoque indigere: sub altero respectu spectare ad spem; quia oratio aliquid sperat, & a Deo exspectat.

§. III.
De Orationis Divisione.

Q. I. *Quotuplex sit Oratio?*

R. Est duplex, nimirum *mentalis*, & *vocalis*. Mentalis est, quae mente solum funditur. Si hac interna locutione aliquid a Deo postulamus, dicitur proprie *oratio*: si res divinas cum mentis affectu serio perpendimus, dicitur *meditatio*. Istius internae orationis gradus supremus dicitur *contemplatio*, de qua consule Mysticae Theologiae Doctores, praesertim *Cardinalem Bona in Libello Isagogico ad Mysticam Theologiam*, qui inscribitur: *Via Compendii ad Deum*.

Vocalis est, quae mente, & verbis perficitur.

Dixi, *mente*, & *verbis*. Nam exteriora tantum verba non sufficiunt ad veram orationem, cum omnis oratio sit mentis ad Deum elevatio.

Q. II. *Quotuplex sit Oratio Vocalis?*

R. Est

R. Est duplex, *privata*, & *publica*. Haec fit a publico ministro Ecclesiae nomine, & pro populi salute: illa fit a persona privata, & privato nomine.

§. IV.

De Orationis necessitate, de iisque pro quibus est orandum.

Q. I. *An Oratio sit necessaria ad salutem?*

R. Oratio proprie dicta, est necessaria ad salutem, necessitate *praecepti* simul, & *medii*.

Prob. 1. pars ex Scriptura. *Lucae XVIII. Oportet semper orare, & non deficere. Matth. XXVI. Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem*. Atqui haec verba *orate, oportet semper orare*, praeceptum indicant. Ergo &c.

Prob. 2. pars. Salus obtineri non potest sine divinae gratiae auxiliis, & praesertim sine perseverantiae dono. Atqui haec a Deo non dantur, nisi petentibus. Ergo &c. Minor probatur ex illo *Jacobi IV. Non habetis, propter quod non postulatis*: & ex *Trid. Sess. VI. cap. II. Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis.*

Cum autem dicimus, orationem medium esse necessarium ad divina auxilia obtinenda, non negamus, Deum ad suae li-

beralitatis ostensionem non posse quaedam auxilia non petentibus concedere, cum reapse primam gratiam praevenientem non petentibus elargiatur; imo aliquando hominum mentes praevenit, ut altiora quaerant: sed tantum asserimus, spectato hoc divinae providentiae ordine, & attenta humanae naturae infirmitate, & egestate, orationem esse medium necessarium ad consequendam secundam gratiam, ad perseverandum in gratia, & ad gloriam obtinendam.

Q. II. *Quo tempore hoc divinum orandi mandatum obliget?*

R. In praeparatione animi, & virtute intentionis continua debet esse oratio: explicita tamen & actualis saepius in vita, tum *per se*, tum *per accidens*; ita ut graviter peccet, qui hoc Religionis exercitium diu omittit, sive intra notabile tempus non orat.

Prob. 1. pars. Ex Scriptura Oratio continua esse oportet. *Oportet semper orare, Lucae XVIII. Sine intermissione orate, I. ad Tessal. V. In ipsa fide, spe, & caritate, & continuato desiderio semper oramus. Aug. ep.* 130. *ad Prob. cap.* 9. Ergo oratio tam saepe repetenda est, ut continua dici possit, non physice, sed moraliter.

Nota. Ad hanc moralem continuationem servandam necesse non est, ut singulis temporum momentis oremus: sed satis est, si congruo tempore, modo hominum

num conditioni apto, preces noſtras repetamus, juxta illud *Auguſtini* ibid. *Quod orandum ſit per certa intervalla horarum, & temporum . . . . ne quod tepeſcere coeperat, omnino frigeſcat, & penitus extinguatur, niſi crebrius inflammetur.*

Quodnam vero ſit ſpatium illud, in quo quis mortaliter peccet, niſi oret, judicio prudentum colligendum relinquimus, ſpectato cujuſque animae ſtatu.

Prob. 2. pars. Multi ſunt caſus, in quibus orandum eſt, ſi non vi praecepti Religionis, certe vi aliorum praeceptorum. Atqui hoc eſt obligari per accidens. Ergo &c.

Hinc orare tenemur gravis tentationis tempore, vel neceſſitatis acquirendi aliquod bonum, vel aliquod malum vitandi, vel cum opus aliquod arduum ſumus aggreſſuri, vel contritione, aut Sacramento ad gratiam nos idoneos praebituri.

Praeterea ad orationem tenemur ex praecepto Eccleſiae, quae divinum orandi mandatum determinavit ad Eccleſiae miniſtros, qui ex ſtatuto Eccleſiae tenentur ad Horas canonicas dicendas. Relate vero ad ceteros fideles, ex Canonum praeſcripto tenentur ii diebus feſtis Sacrificio intereſſe, & Sacerdotum precibus ſuas addere. *D. Thomas in IV. diſt.* 15. *q.* 4. *art.* 1. *q.* 3.

Q. III. *Quaenam a Deo peti debeant?*

R. Decentia, ut ſupra dictum eſt in

expositione definitionis. Verum nota inter ea, quae a Deo peti possunt, quaedam absolute petenda esse, ut sunt quae per se ad salutem conducunt. Ejus generis sunt gratia, virtutes supernaturales, salus aeterna, quae quidem absolute & determinate Sancti orando petierunt, secundum illud *Psal.*118. *Deduc me in semitam mandatorum tuorum*. Et *Psal.*26. *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini*.

Quaedam vero non absolute, sed conditionate, nimirum sub hac tacita conditione, *quod nobis sint salutaria*: ut sunt quae de se ad salutem sunt indifferentia. Ejus generis sunt bona, & mala temporalia. Vide *D. Thomam* 2. 2. *q.* 83. *art. 6.*

Ex his inferes 1. mortale esse petere a Deo rem malam, vel auxilium ad illam; quia in hoc est gravis irreverentia in Deum, quasi Deus esset auctor, vel fautor peccati.

Inferes 2. contra falsos mysticos, quemvis christianum quovis in statu, licet non quovis momento, teneri velle, desiderare, & postulare explicite & absolute salutem aeternam, quippe quam Deus ipse vult, & quam nos etiam velle propter suam gloriam jubet. Item remissionem peccatorum, gratiam non peccandi, virtutum augmentum, & quaevis alia ad salutem aeternam requisita. Item vires adversus tentationes;

nes; haec enim expresse continentur in Oratione Dominica, quae communis, & quotidiana est oratio filiorum Dei. Lege *Bossuetium in Opusculo De variis Orationis statibus*.

Inferes 3. *Innocentium XI.* merito in Constitutione, quae incipit, *Caelestis Pastor*, edita an. 1687. damnasse Quietistas asserentes, nihil determinate esse a Deo petendum: sed omnia voluntati divinae sic esse remittenda, etiam circa beatitudinem, & virtutes, quibus ea comparatur, ut homo veluti passive se habeat, & paratus sit haec accipere, si largiatur Deus; privari vero, si deneget.

Q. IV. *Pro quibus sit orandum?*

R. Pro omnibus, qui nondum sunt in termino, etiam pro inimicis nostris juxta illud Apostoli *I. ad Tim. II. Obsecro fieri orationes pro omnibus hominibus*. Ratio est, quia omnibus salutem desiderare, & quantum commode possumus, procurare debemus. Ergo etiam a Deo petere.

§. V.

De Conditionibus requisitis, ut Oratio sit efficax.

Nota I. Triplex assignari solet Orationis effectus, nimirum *meritum*, *satisfactio*, & *impetratio*.

Meritum: Oratio ab homine justo legi-

gitime facta, actus est meritorius aeternae vitae, sicut & quilibet virtutis actus a caritate procedens. Oratio enim a caritate procedit, Religione mediante, cujus est actus. *D. Thomas 2. 2. q. 83. art.* 15.

Satisfactio: Oratio enim ex gratia procedens, actus est supernaturalis, & poenalis, cui poenae temporalis remissio promissa est. Unde *Trid. sess. XIV. can.* 13. *Si quis dixerit pro peccatis, quod ad poenam temporalem minime Deo per Christi merita satisfieri . . . . . jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus . . . anathema sit.*

Impetratio, quae est proprius Orationis fructus, certa & infallibilis, si oratio legitime fiat; cum Deus frequenter in Scripturis promiserit eam esse exauditurum. *Psal. LIX. Invoca me in die tribulationis, & eruam te. Joan.XVI. Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.*

Nota II. Hujusmodi tres Orationis effectus aliquando a se invicem separantur. Nam 1. Oratio saepe impetratoria est, sed non meritoria, aut satisfactoria: ut Beati, qui pro nobis orantes impetrare valent, mereri tamen nequeunt, quia non sunt in via.

2. Aliquando Oratio impetratoria est, & satisfactoria, non tamen meritoria stricte, seu *de condigno:* ut Oratio poenitentis nondum justificati, quae non solum impe-

petratoria, ſed etiam juxta multos ſatisfactoria eſt.

3. Oratio poteſt eſſe meritoria, quin ſit impetratoria: ut eſt oratio juſti, qui aliquid implorat ſibi minime congruens: quomodo oravit Apoſtolus *II. ad Cor. XII.* ut a ſe Deus auferret ſtimulum carnis, quod non obtinuit: & ejus oratio utpote ab homine juſto per gratiam operante procedens, fuit opus aeternae vitae meritorium.

4. Saepe Oratio eſt meritoria ſimul, & impetratoria: ut dum juſtus petit ſibi vitam aeternam, illam meretur, ſimul & impetrat, ſed dandam ſuo tempore, ſi in gratia perſeveret. Contra qui vitam aeternam aliis poſtulat, eandem impetrare poteſt, non condigne mereri.

Q. I. *Quaenam conditiones requirantur, ut Oratio obtineat quod petit?*

R. Quatuor requiruntur a *S. Thoma* 2. 2. *q.* 83. *art.* 7. *ad* 2. *&* 3. & *art.* 15. *ad* 2. 1. ut quis pro ſe petat: 2. ut petat neceſſaria, vel conducentia ad ſalutem: 3. ut pie: 4. ut perſeveranter petat.

Prima conditio igitur pro certa & ſecura impetratione eſt, ut quis pro ſe petat. Nam *quandoque Oratio pro alio facta non impetrat, etiamſi fiat pie, & perſeveranter, & de pertinentibus ad ſalutem propter impedimentum, quod eſt ex parte ejus, pro quo oratur, D.Thomas* ibid. *art.*7.

ad 2. Ceterum Oratio non est cuilibet denegganda, cum ex Apostolo *I. ad Tim. II.* orationes fieri debeant pro omnibus hominibus, & *Jacobi V.* dicatur: *Orate pro invicem, ut salvemini; multum enim valet deprecatio justi assidua.*

Altera conditio ad infallibilem impetrationem requisita, est, ut petantur necessaria ad salutem, vel quae saltem ad salutem viam parent, dicente Christo: *Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Ea autem Christi nomine postulantur, quae ad salutem conducunt.

Tertia conditio est, ut Oratio pie fiat, idest pio animo, seu fide spe & caritate.

De fide testantur haec Christi verba, *Matth. XXI. Omnia, quaecunque petieritis in oratione, credentes accipietis.* Oratio autem innititur principaliter fidei, ait *D. Thomas* cit. *q. art.* 15. *ad* 3. *Quia per fidem habet homo notitiam omnipotentiae divinae, & misericordiae, ex quibus oratio impetrat quod petit.* Fides igitur necessaria ad orationem, ea non est, qua quis certo credat se obtenturum esse quod petit, (orabat enim Apostolus ex fide, ut auferretur sibi stimulus carnis, nec tamen certus erat, se exauditum iri): sed requiritur fides de divinis promissionibus, ut nimirum firmiter assentiamur promissionibus a Deo factis, ac certo credamus Deum veracem esse, & in

in suis promissis fidelem.

Requiritur spes, seu fiducia, quae animum erigit, ac sustinet, effecitque, ut cum affectu, atque efficacia postulemus: *Adeamus ergo cum fiducia ad Thronum gratiae, ut misericordiam consequamur. Ad Hebr. IV.*

Innititur tandem Oratio caritati, a qua habet efficaciam merendi, *D. Thomas* ibid. *art.* 15. *ad* 3. De caritate haec scribit *Joannes XV. Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcunque volueritis, petetis, & fiet vobis.*

Quarta Conditio ad orationem necessaria, perseverantia est, quam frequentissime nobis Scriptura inculcat: *Oportet semper orare: sine intermissione orate:* quae verba perseverantiam & assiduitatem orationis nobis commendant: quod quidem confirmat Salvator duplici exemplo, altero viduae, quae per importunas preces vicit tandem iniqui judicis duritiam; altero hominis, qui a vicino suo repulsam passus, propter importunitatem, idest suam in petendo perseverantiam, obtinuit panes quotquot habuit necessarios.

Porro Deus perseverantiam in orationibus nostris exigit 1. ut pluris aestimemus ejus dona; nam cito data vilescunt. 2. Ut per propriae indigentiae, & infirmitatis experientiam in humilitate contineamur. 3. Ut Deus nos sibi magis devinciat; quia,

ut ait *S. Joannes Chrysostomus*, *Oratio cum eo colloqui assuefacit, & ad sapientiae studium nos deducit.*

Q. II. *Utrum peccatores a Deo exaudiantur?*

R. Cum *D. Thoma* ibid. *art. 6. Orationem peccatoris ex bono desiderio . . . . . procedentem Deus audit, non quasi ex justitia, quia peccator hoc non meretur; sed ex pura misericordia, observatis tamen quatuor conditionibus, ut scilicet pro se petat necessaria ad salutem, pie, & perseveranter.*

Dices: Impia est quaelibet impii deprecatio. Nam 1. *Proverb. XXVIII.* dicitur: *Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis.* 2. Peccatores gratia sanctificante sunt destituti. 3. Illud Caeci effatum a Christo illuminati *Joan. IX. Scimus, quia peccatores Deus non audit.*

Ad I. R. impiam esse peccatoris deprecationem, si fiat secundum desiderium peccati, vel labiis tantum, & sine ullo Religionis sensu. Nos vero loquimur de peccatore Dei illustratione, & pia affectione, seu actuali quadam caelesti gratia praevento, & poenitentiam anhelante.

Ad II. R. non officere, peccatores destitutos esse gratia sanctificante. Inde enim infertur tantum, eorum orationem non esse meritoriam; minime vero impetratoriam non esse. Ad

Ad III. R. effatum illud a Caeco prolatum, non esse absolute verum: *Nam si peccatores non exaudiret Deus*, ait *Augustinus*, *frustra dixisset Publicanus: Domine, propitius esto mihi peccatori:* sed intelligendum de peccatore, qui a Deo miracula petit, ut eorum ope probet se bonum esse, & sanctum. Hinc tacite concludebat Caecus ille, Christum esse verum sanctum & justum, quippe qui a Deo constanter exauditus, innumera perpetravit miracula. Vel dici volumus cum *Augustino*, effatum illud Caeci esse nondum plene illuminati, seu in rebus divinis non plene instructi.

CAP. III.

De Horis Canonicis.

Q. QUid *sint Horae Canonicae?*
R. Sunt *preces vocales ab Ecclesia institutae, ejusque nomine quotidie, statutis horis, Deo persolvendae a personis ad id specialiter deputatis.*

Hae autem preces dicuntur *Horae*, quia statis diei, noctisque horis celebrantur. Appellantur vero *canonicae*, quia per sacros Canones sunt praescriptae; vel quia publice persolvuntur a Canonicis sive Clericis,

ricis, qui canoni Ecclesiae adscripti erant, & quibus in sustentationem dabatur contributio quaedam dicta *Praebenda* seu *Sportula*. Appellantur etiam *Officium divinum*, quia pensum istud precum Deo persolvitur. Appellantur etiam *Breviarium*, quia Officium quod nunc recitatur, non est nisi compendium Officii multo longioris, quod primis temporibus recitabatur.

Porro hujusmodi preces, cum Ecclesiae nomine persolvantur, publicae dicendae sunt, etiamsi privatim recitentur.

De earum numero septem contendunt esse Recentiores, scilicet Matutinum cum Laudibus, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperas, & Completorium. Antiquiores vero, qui nocturnas vigilias a matutinis laudibus separabant, octo numerabant. Quid sibi velint nomina, & quae singularum Horarum sint mysteria, legendus *Cardinalis Bona in Tractatu de divina Psalmodia, ejusque Causis, mysteriis, & disciplinis*.

Nostri vero instituti ratio non sinit prolixe hac de re disputare; idcirco quasdam ad praxim utiliores quaestiones hic tantum resolvemus. Unde sit

§. I.

§. I.
De Recitantium Canonicas Horas obligatione.

Q. I. *Undenam obligatio oriatur Canonicas Horas recitandi?*

R. Ex triplici titulo, nimirum ex Ordine ſacro, ex Beneficio, & ex Profeſſione Religioſa, quod ad eos, qui ſunt Choro addicti.

Prob. Quod ad ſacrum Ordinem conſtat ex pervetuſta Eccleſiae conſuetudine vim legis habente, quam ſupponunt, & confirmant varii Canones, qui antiquae obligationi hanc vel illam circumſtantiam addunt, & praecipiunt: ex *cap.* Si quis Presbyter, *diſt.*92. & ex *Concilio Baſileenſi ſeſſ.* 21. ſub titulo: *Qualiter Horae extra Chorum dicendae ſunt.*

Quod ad Beneficium patet ex *Concilio Lateranenſi* ſub *Leone X. ſeſſ.IX. de Reform.* & ex Bulla *Pii V. Ex proximo*, in qua Concilii decretum confirmatur, explicaturque.

Quod ad Profeſſionem vero Religioſam probatur etiam ex univerſali conſuetudine, quam teſtantur innumeri Theologi, docentes vim legis habere: ita ut ſententia aſſerens Religioſos profeſſos, in ſacris non conſtitutos, privatim Officium recitare non teneri, ſi Choro non interſint, re-

reprobata fuerit anno 1632. ab Universitatibus *Hispalensi*, *Caesaraugustana*, & *Conibricensi*: & jussu *Clementis VIII.* abrasa e libro *Emanuelis Sà*.

Hinc I. Clerici omnes in sacris constituti, etiamsi beneficiarii non sint, sub mortali tenentur ad Officii recitationem etiam extra Chorum.

Dixi 1. *Clerici in sacris*; quia ex praxi Ecclesiae, & ex communi Doctorum sensu Clerici in minoribus, si beneficiarii non sint, ab hoc onere eximuntur.

Dixi 2. *Omnes*, ne iis quidem exceptis, qui sunt suspensi, excommunicati, degradati, immo juxta multos etiam damnati ad triremes, modo in tam misero statu valeant Breviarium legere; quia Clericus propter suam improbitatem nunquam eximitur ab oneribus suo Ordini adnexis. Qui vero per metum injuste incussum sacrum Ordinem susciperet, ad Officium recitandum non teneretur, nisi suscepto Ordine libere utatur; hujusmodi enim onus nemini invito imponi debet: a fortiori idem dicendum de Ordinato in infantia.

Dixi 3. *Sub mortali*; haec enim obligatio gravis est tum ratione materiae, tum ratione finis.

Quando Subdiaconus ad tale onus obligatur?

R. Ipso suae Ordinationis die, & quidem ad Horas respondentes horae, qua ordinatur. *Num*

Num suae obligationi satisfaciat Subdiaconus, qui partem illam recitat ante Ordinationem?

R. Affirmant multi; quia debiti solutionem anticipat, quod est certo moraliter contrahendum.

Dices, adhuc eum non esse ab Ecclesia deputatum, ut publicas preces fundat.

R. Esse proxime deputandum.

An vim legis habeat sub gravi obligantis consuetudo illa, qua Clericis statim ordinatis per ordinatorem Episcopum quaedam preces imponuntur, scilicet Poenitentiales Psalmi Clericis in minoribus, Nocturnum diei Clericis in sacris?

R. Negant plures eam consuetudinem sub peccato fuisse receptam.

Hinc II. Omnes Clerici sive in sacris sint, sive non, Beneficium ecclesiasticum possidentes, non solum ex Religione, verum etiam ex justitia sub mortali, & restitutionis obligatione ad Horas canonicas tenentur.

Dixi 1. *omnes Clerici &c.* quia ita disponitur in cit. decreto *Concilii Lateranensis*.

Dixi 2. *Ecclesiasticum Beneficium*, sive simplex sit, sive curatum; imo ad canonicum Officium tenetur habens Cappellaniam collativam, nempe Episcopi auctoritate erectam & collatam, cum sit verum Beneficium: secus si Cappellania sit lai-

laicalis. Pensionarii ex Bulla *Pii V.* tenentur ad Officium Beatae Virginis; nisi malint Officium divinum recitare, modo pensio sit clericalis.

Dixi 3. *possidentes*; quia provisus ad legem divini Officii non adstringitur, priusquam sibi collati Beneficii possessionem ineat; cum Beneficiarius ante possessionem nullum Beneficii jus exercere valeat, nullas functiones obire. Ergo aequum non est, ut ejus onera ante ferat; tenetur vero si per ipsum stet, quin possessionem accipiat; quia ex *Regula juris XXV. in 6. Mora sua cuilibet est nociva*.

Dixi 4. *non solum ex Religione, verum etiam ex justitia*. Quia sub onere Horas canonicas recitandi Beneficium datum est eis, & ab ipsis acceptatum.

Dixi 5. *sub peccato mortali*. Explicatio hujus particulae patet ex dictis.

Dixi 6. *sub onere restitutionis*; quod patebit ex dicendis.

Q. II. *An ad Officium teneatur qui habet Beneficium ita tenue, ut ejus annui reditus non adaequent summam tituli ecclesiastici, dioecesana lege requisitam?*

R. Ad quotidianam Officii recitationem non teneri, sed tantum certis diebus judicio Episcopi determinandis. Resolutio videtur aequitati conformis, cum Beneficiarius licet ab omni onere non eximatur, praestat tamen aliquod servitium exiguis re-

reditibus respondens. Ad quotidianum vero Horarum pensum tenetur qui plura habet tenuia Beneficia, ex quibus *competentiam* habet. Is enim ex reditibus Ecclesiae sufficiens habet stipendium ad suam sustentationem. Ergo debet Horarum canonicarum tributum, quod hinc oritur.

Q. III. *Num qui congruum habet Beneficium, sed illius fructus non percipit, teneatur persolvere Horarum canonicarum pensum?*

R. Cum dist. teneri eum, si propria culpa careat fructibus Beneficii; quia hic habet Beneficium cum jure ad percipiendos fructus, etsi propria culpa fructus non percipiat: non enim debet ex sua culpa commodum exemtionis reportare. Secus, si nullos fructus percipiat, puta quia domus locanda, sit diruta, vel debitor soluturus, aere alieno obrutus sit; quia Beneficiarius adstringi nequit ad pensum Officii, nisi fructibus perceptis, aut percipiendis.

Dixi, *si nullos fructus percipiat*. Tenetur enim, si partem fructuum recipiat ad sustentationem sufficientem.

Item ab onere divini Officii liber non evadit, qui ob temporum sterilitatem fructus non colligit; quia sterilitas unius anni compensatur cum abundantia alterius. Item qui fructus Beneficii renunciat parentibus; quia ejusmodi Beneficiarius revera colligit Beneficii sui reditus, quamvis aliena manu.

Hinc

Hinc III. Religiosi professi utriusque sexus Choro addicti tenentur sub gravi culpa etiam extra Chorum recitare Horas canonicas.

Dixi 1. *Religiosi professi*, etsi sint excommunicati, apostatae, fugitivi, ejecti &c. prout de Clericis dictum est. Contra ab hoc onere exemti sunt Novitii, cum in poenalibus seculares reputentur.

Dixi 2. *utriusque sexus*. Eadem enim est Monachorum ratio, ac Monialium: pervetusta scilicet & universalis consuetudo. Vide *Natalem ab Alexandro lib. II. art. 2. reg. 6.*

Dixi 3. *Choro addicti*: nam Conversi, etsi sint professi, lege divini Officii non tenentur, utpote non Choro, sed corporis laboribus destinati. Item qui armis destinati sunt, ut Religiosi militares.

Dixi 4. *sub gravi culpa*. Consuetudo enim adeo pervetusta, & in re adeo gravi, gravem procul dubio inducit obligationem.

Dixi 5. *etiam extra Chorum*, scilicet quando non intersunt, cum ad Officium recitandum vi Professionis teneantur. Haec autem obligatio incipit a die & hora Professionis, ut obligatio Subdiaconorum a die & hora Ordinationis.

Tandem privilegia Regularium, quae super divini Officii recitatione jactantur, alia sunt suspecta, alia scholasticis interpretationibus nimis extensa; ita ut vix Regula-

laris bene moratae conſcientiae aliquo illorum frui potuerit. Conferendus eſt hîc *Concina de Horis Canon. cap.IX. q. 3. & ſeq.*

§. II.
De Forma, ſeu ritu, quo recitandum ſit Officium.

Q. *Quod Officium ſit recitandum?*

R. Officium praeſcriptum in Breviario Romano, uti conſtat ex Bulla *Pii V. Quod a Nobis*, edita anno 1568.

Excipiuntur quaedam Dioeceſes, Capitula, Ordines Regulares, quorum Officia a Romana Sede approbata, aut propria fuerunt ducentis annis ante *Pium V.* quibus tamen omnibus Epiſcopi, aut Capituli conſenſu Romanum aſſumere permittitur.

Dixi, *Officium praeſcriptum*, nempe de die currente, & eo ritu, quo praeſcribitur, uti de Sancto, Feria, Duplici, Semiduplici; quia non ſolum praecipitur recitatio Officii, ſed etiam praeſcribitur forma ſeu ritus, quo recitari illud debeat. *Omnes*, ait Pontifex in cit. Bulla, *quibus Officium dicendi, aut pſallendi quomodocunque injunctum, ex hujus noſtri Breviarii formula tam in Choro, quam extra illum dicere, & pſallere procurent.*

Hinc qui ſcienter, & ſine juſta cauſſa unum Officium pro alio recitat, non ſatisfacit debito recitandi Horas canonicas. Huic

Huic noſtro confectario pondus non leve addit damnata theſis ab *Alexandro VIII.* num. 34. *In die Palmarum recitans Officium Paſchale, ſatisfacit praecepto.*

Dixi 1. *ſcienter*. Nam qui ex inadvertentia, & errore unum Officium pro alio recitat, non tenetur proprium illius diei Officium repetere; quia licet materialiter praeſcriptum ritum non obſervet, ſervat tamen formaliter, cum ad illum ſe conformare intendat, & credat.

Quod ſi inter recitationem error detegatur, melius eſt emendare quod reliquum eſt.

Si vero errores agnoſcantur elapſo die, non debet altero die Officium omiſſum ſubſtitui in locum Officii jam recitati; quia primus error jus non dat Breviarii Rubricas invertendi.

Dixi 2. *ſine juſta cauſſa*. Nam ſi gravis cauſſa excuſat a recitatione, potiore jure licitam reddit Officii commutationem.

Hinc Monialium Cappellanus poteſt illarum Officio ſe conformare, ſi Miſſam Conventualem celebrare teneatur; quia quantum fieri licet, Miſſa cum Officio conformis eſſe debet. Item invitatus ab Eccleſiae Rectore, Parocho, ut opem illi ferat ad celebrandum ſui Patroni feſtum, excuſabitur, ſi aliud a ſuo recitet Officium; quia nemini pietas ſua incommodum afferre debet.

Nota. Ex Bulla *Pii V. Quod a nobis*, qui utuntur Breviario Romano, ne in Choro quidem obligantur ad Psalmos Poenitentiales, Graduales, Officium Defunctorum, excepto die Animarum. Officium vero Beatae Virginis in Choro recitari debet, ubi est consuetudo. At tenentur omnes etiam extra Chorum ad recitandas Litanias diebus S. Marci, & Rogationum, & ad Officium Defunctorum secunda die Novembris, cum sint pars Officii illius diei, ut patet ex communi Ecclesiae praxi.

§. III.

De Tempore, quo recitandae sint Horae Canonicae.

Q. I. *Quânam diei horâ incipiat obligatio divinum Officium recitandi?*

R. A media nocte antecedentis diei ad mediam usque subsequentis; excepto Matutino cum Laudibus, de quo infra. Nam cum pensum divini Officii sit diurnum, intra limites unius diei absolvendum est. Dies autem ex communi Doctorum sententia initium ducit a media nocte antecedentis diei, & finem claudit in puncto mediae noctis diei subsequentis.

Hinc 1. Si quis intra dictum tempus Officium non dixerit, peccavit quidem; at non tenetur postmodum omissum supple-

plere ; quia elapſus eſt dies cum onere ſuo.

2. Ad vitandum peccatum mortale ſufficit, ſi omnes Horae dicantur a media nocte ad alteram uſque.

Dixi, *ad vitandum peccatum mortale.* Nam ad vitandum veniale Horae dicendae ſunt congruis temporibus. Quod ſi juſta adſit cauſſa anticipandi, vel poſtponendi, nulla erit culpa, nec etiam venialis.

Dixi, *excepto Matutino &c.* Nam ex conſuetudine jam communiter invecta Matutinum, & Laudes poſſunt perſolvi hora veſpertina diei antecedentis : in determinanda tamen hac veſpertina hora, qua Matutinum anticipari poſſit, diſputant Theologi. Alii aſſignant ſecundam horam a meridie. Alii autem hyeme horam tertiam, aeſtate vero horam quartam a meridie. Communiter dicunt, cum ſol propior ſit ad occaſum, quam ad meridiem, & hoc tempus congruit cum eo, quod in tabulis Calendariorum communiter aſſignatur.

Q. II. *Num qui pridie recitat Matutinum, poſſit, eo explèto, Officium Defunctorum, Litanias Rogationum recitare?*

R. Probabilius non poteſt ; quia ſunt preces addictae illis determinatis diebus, & conſuetudo divini Officii penſum anticipandi conſtat de ſolo Matutino cum Laudibus.

§.IV.

§. IV.

De Continuatione, & ordine, quo recitari debeat Officium.

Q. I. *Num divini Officii recitatio debeat esse continua?*

R. Affir. Non ut omnes Horae continenter recitentur, sed ut quaelibet Hora sine interruptione compleatur: puta inchoata Primâ, interrumpi non debet, sed integre & continenter recitanda est.

Quid si interruptio isthaec sit notabilis & in medio Horae parvae, puta in medio Primae, Tertiae &c.?

R. A mortali excusant *Salmanticenses*, & etiam a veniali, si ex justa caussa fiat; quia unitas orationis non substantiam, sed accidentarium praecepti modum spectat.

Q. II. *Quonam ordine Horae sint recitandae?*

R. Ordo ab Ecclesia praescriptus, est, ut recitetur Matutinum ante Laudes, Laudes ante Primam &c. quem ordinem absque justa caussa invertere, est solum peccatum veniale. Ratio est, quia in hac variatione servatur substantia praecepti, recitando Horas intra limites diei naturalis.

Dixi, *absque justa caussa &c.* Nam si inviteris ab amico, qui, utpote infirmus, ea indigeat societate, ad dicendam Primam cum reliquis Horis, non persoluto

Matutino cum Laudibus, non peccabis, cum justa detur caussa variandi.

Q. III. *Num peccet mortaliter qui Missam celebrat, Matutino non recitato?*

R. Neg. Nam praeceptum Missae, & praeceptum dicendi Officium, duo sunt praecepta disparata, nec unum ab altero pendet. Ergo licite potest prius absolvi, altero postposito. Ita *Dominicus Soto*, *Henricus a S. Ignatio*, *Concina*, aliique.

Dices: Ordo non celebrandi Missam, nisi Matutino cum Laudibus persoluto, in Rubrica Missalis Romani praescribitur. Ergo est graviter obligans.

R. Non omnes Rubricae sunt de praecepto graviter obligante, uti de hac Rubrica testantur graviores Theologi. Verum a veniali culpa non te excusant laudati Theologi, si absque rationabili caussa Missam celebres, Matutino non recitato; cum hujusmodi Rubrica sit praeceptiva, quamvis non sub gravi.

§. V.
De Integritate, qua Divinum persolvi debeat Officium.

Q. I. *Num peccet mortaliter qui non totum, sed partem Officii omittit?*

R. Profecto grave peccatum esse, si omissio sit notabilis.

Q. II. *Quaenam pars divini Officii di-*

dicenda sit notabilis, ob cujus omissionem graviter peccatur?

R. Omissio unius Horae, etsi parvae, ut Primae, Tertiae &c. Item omissio unius Nocturni. Item omissio trium Lectionum cum Responsoriis. Quia ejusmodi omissiones in se spectatae, quantitatem notabilem constituunt. Contra pars notabilis non censetur, quae non pertingit ad quantitatem unius integrae Horae. Item contra integritatem divini Officii peccant, & quidem graviter (si quantitas simul sumta sit notabilis) qui recitantes cum sociis incipiunt versiculos, antequam alii expleant. Item qui per syncopes, vel alio modo verba diminuunt. Excipe tamen, qui ex naturali linguae defectu balbutientes involuntarie verba truncant, & deglutiunt.

Nota I. Nihil ad Officii integritatem refert, num quis solus Officium recitet, an alternis versibus cum alio. Verum in hac recitatione Ecclesiae praxis & consuetudo servanda est. Hinc praecepto non satisfacerent qui sic Officium distribuerent, ut unus Psalmos, alter Lectiones legeret: sed alternis vicibus dicendi sunt Psalmi; lectiones vero ab uno solo legi possunt, altero audiente, cum ea sit praxis Ecclesiae.

Nota II. Qui totum omittit Officium, unicum peccatum mortale perpetrat, quia unicum est praeceptum recitandi Horas canonicas; sed gravius, quam si unam, vel al-

alteram Horam neglexiſſet. In Confeſſione tamen explicandum eſt, quot Horae ſint omiſſae; cum numerus Horarum omiſſarum circumſtantia ſit notabiliter aggravans peccatum.

§. VI.

De Pronunciatione ſeu voce, qua Horae Canonicae perſolvendae ſunt.

Q. I. *Quaenam requiratur pronunciatio in precum canonicarum recitatione?*

R. Pronunciatio vocalis exterior, ut colligitur tum ex *Cap.* Dolentes, tum ex pluribus Conciliis, diſtinctam, & vocalem recitationem jubentibus.

Hinc qui ſola mente, & abſque voce exteriore Officium percurreret, obligationi ſuae non ſatisfaceret.

Q. II. *An pronunciatio iſthaec debeat eſſe tam clara, ut Officium recitans, ſe ipſum audire queat, ſi nihil obſtet?*

R. Neg. ſed ſufficit, ut Officium recitans, attente & diſtincte verba pronunciet, etſi ſemetipſum non audiat. 1. Quia nullo jure probatur, recitantem Horas teneri ad ſe audiendum, cum praeceptum obliget ad dicendum, non vero ad audiendum. 2. Quia oratio poteſt ore, & voce fieri, etiamſi non audiatur ab ipſo recitante, & ex ſe eſt ſonus quidam formatus ex alliſione aëris ad dentes, & labia. 3. Ex

pra-

praxi timoratorum, qui de elatione vocis parum ſunt ſolliciti. Ita *Sylvius*, aliique multi.

Contra, ſi cum ſocio Officium recites, ea pronunciatio adhibenda eſt, ut ab eo audiri poſſis, eumque audire viciſſim; quia auditio ſupplet pronunciationem partis, quam tu non recitas. Hinc Officio non ſatisfacit ſurdus, qui ſocii ſecum recitantis verba non audit.

De his, qui Choro aſſiſtere tenentur, benigne ſentiunt Theologi. Hinc qui in Choro ea omnia adhibet, quae ad attentam recitationem requiruntur, attamen vel ob exſurgentium ſtrepitum, vel ob exilitatem vocis ejus qui legit, non percipit omne quod dicitur ab aliis, vel audit ſaltem confuſe, & indiſtincte alteram Chori partem, ſatisfacit ſuae obligationi. Quia Chorus habetur ut myſticum corpus, ſe omnibus membris communicans; aliique ſatis ſupplent, quod ipſe audire nequit. Idem dicunt de ſurdo, Choro adſtricto; hic enim quantum in ſe eſt, partem ſuam implet, & per ipſum non ſtat, quin audiat. Cur ergo damnandus vel ad repetendum quod non audivit, vel ad ſubmiſſa voce dicendum, quod altera pars canit? quod ſine graviſſimo incommodo fieri nequit in Choro, in quo pleno & celeri ductu canitur.

§. VII.

De necessaria Intentione, Attentione, ac Devotione Horas canonicas recitandi.

Nota I. Intentio generatim sumta, est *actus voluntatis finem aliquem sibi praefigentis*. In recitatione vero Horarum est volitio orandi, & laudandi Deum. Intentio potest esse *expressa* & *formalis*, *implicita* & *virtualis*. Illa habetur, quando quis initio recitationis expresse hunc elicit actum, *volo orare, & laudare Deum*: haec reperitur in illo, qui ut suae obligationi faciat satis, assumit Breviarium, vel debito tempore ad Chorum convenit ad recitandum Officium. In hac volitione implicite includitur intentio orandi, & laudandi Deum; cum quod Ecclesia praecipit, sit laus Dei, & oratio.

Nota II. Attentio est *actus intellectus, quo quis advertit ad id, quod agitur a se, vel ab alio*. Qui recitat divinum Officium, potest advertere vel ad Deum, vel ad sensum, vel ad verba. Hinc triplex distinguitur Attentio ratione objecti, scilicet ad Deum, ad sensum, ad verba.

Nota III. Triplex distinguitur Devotio, *externa*, quae in reverenti corporis compositione consistit; *interna*, quae sita est in pio mentis in Deum affectu; & *mixta*, quae utrumque complectitur.

Hinc

Hinc palam fit discrimen Intentionem inter, Attentionem, & Devotionem. Intentio enim est actus voluntatis, & propositum exercendi actum virtutis, nempe Religionis. Attentio est actus intellectus. Devotio, quae nos Dei servitio addicit, virtus est; secus vero Attentio, quae facit, ut animus praesens sit iis, quae aut dicit, aut facit.

Praeterea Intentio distinguenda est ratione actus in *explicitam*, & *implicitam* &c. Attentio autem ratione objecti, prout varias objecti rationes respicit, sive generales, sive particulares: Devotio vero ratione gradus, ut major, vel minor in orando fervor. Intentioni opponitur retractatio. Attentioni adversatur distractio, sive mentis evagatio, quae voluntaria, vel involuntaria esse potest. Devotioni contraria est mala cordis dispositio. De his vide *Dominicum Soto*.

§. VIII.
De Intentione.

Q. I. *Utrum necessaria sit aliqua Intentio in Horarum recitatione?*

R. Affir. Intentio scilicet saltem implicita orandi & laudandi Deum. Prob. Ut fiat satis Ecclesiae praecepto in Horarum recitatione, Breviarii lectio habere debet verae orationis rationem. Atqui hoc

 fit

fit per intentionem saltem implicitam orandi, & laudandi Deum. Ergo &c. Prob. Minor. Lectio Breviarii de se est indifferens ad orationem, & ad studium, ut patet in eo, qui per modum studii legit Psalmos, & Patrum homilias. Ergo ut recitatio Horarum sit oratio, & non studium, intentione determinetur oportet.

Dixi, *saltem implicita &c.* Nam expressa & formalis necessaria non est, cum satis habeatur deliberata voluntas orandi tam in explicita, quam in implicita intentione.

Q. II. *Num qui attente ac devote divinum Officium recitat, cum animo expresso non satisfaciendi praecepto, sed cum voluntate postea illud repetendi, teneatur Officium iterum dicere?*

R. Negant multi. Hic enim sciens & volens facit omne id, quod a lege praecipitur. Ergo ad nihil aliud tenetur. Vide dicta in *Tractatu de Legibus*.

§. IX.
De Attentione.

Q. *Utrum in recitatione precum canonicarum requiratur Attentio, & qualis?*

R. In recitatione precum canonicarum requiritur vera Attentio, sive animi advertentia, vel ad verba divini Officii, ut sunt laudes Dei, vel ad sensum verborum, vel ad

ad Deum ipſum. Prob. Recitatio divini Officii praecipitur ab Eccleſia per modum orationis. Sed oratio conſiſtere non poteſt ſine vera attentione ad ea quae dicuntur, cum omnis oratio ſit elevatio mentis in Deum. Ergo cum Eccleſia praecipiat Breviarii recitationem per modum orationis, praecipit etiam attentionem, ſine qua oratio conſiſtere nequit. Hinc divini Officii recitatio cum voluntaria diſtractione non eſt vera oratio, ſed orationis ſimulatio, quam Chriſtus deteſtatur *Matth. XV. Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt a me.*

Praeterea precum canonicarum recitatio eſt actus Religionis. Atqui Religionis actus debet fieri in ſpiritu, & veritate, non ſolo corpore. *Veri adoratores*, ait Chriſtus *Joan. IV.*23. *adorabunt Patrem in ſpiritu, & veritate.* Ergo &c.

Dixi 1. *ad verba, ut ſunt laudes Dei, vel ad ſenſum verborum, vel ad Deum ipſum.*

Attentio *ad verba* habetur, cum attenditur ad illa recte proferenda, ne error fiat, mutilando, tranſponendo &c.

Attentio *ad ſenſum* eſt illa, quae verborum ſenſum meditatur.

Attentio *ad Deum* eſt directa mentis elevatio in Deum in illius contemplatione, adoratione, & amore. Ad hanc elevationem reducunt *Concina*, aliique medi-

tationem Dominicae Passionis, Beatae Virginis, & Sanctorum; quia haec proxime nos conducunt ad Deum.

Ex hisce tribus modis attendendi ad canonicas preces primus infimus est, secundus perfectior, tertius est omnium perfectissimus. Nam duo primi sunt viae perveniendi ad tertium, nempe ad modum conjungendi Deo hominis mentem per sublimes actus contemplationis, adorationis, & amoris.

Verum quilibet ex his tribus attendendi modis satis est ad implendum praeceptum canonicae orationis. Ita *D. Thomas* 2. 2. *q.* 83. *art.* 13. cui subscribunt Theologi omnes. Nam primum, qui est omnium infimus, satis esse patet exemplo Monialium, & aliorum, qui sensum verborum haud percipiunt: tertium non esse necessarium fatentur Theologi omnes.

Dixi 2. *sufficere attentionem ad verba, ut sunt laudes Dei*, intendendo scilicet per illa Deum laudare, & orare: attentae enim verborum prolationi aliqua mentis elevatio in Deum comitetur necesse est, ut vera oratio consistat. Nam attentio ad verba, si mere materialis sit, cujusmodi est illa, qua utuntur & pueri legentes, & aves canentes, non sufficit ad rationem verae orationis. Vide *Augustinum in Psal.* 98.

Ex his resolves graviter peccare, & ad

ad restitutionem teneri, si Beneficiarius sit, qui per notabilem Officii partem voluntarie distrahitur, nisi repetat quod male recitavit; quia sic distractus nec actum Religionis exercet, nec vere orat.

Porro distractio potest esse voluntaria *in se*, vel *in caussa*. Distractio tunc in se voluntaria est, cum homo sciens & volens extraneis cogitationibus mentem pascit. Ut qui Horas recitans, voluntarie scholasticas quaestiones scrutatur, vel sua familiaria negotia mente revolvit.

Distractio voluntaria est in caussa, cum quis etsi distractus esse nollet, ea tamen libere facit, ex quibus secuturam distractionem videt. *Sic peccant*, ait *Colet*, *qui post inania cum omni personarum genere colloquia, post ludum, & pecuniam in eo deperditam, post apertum pluries os murmuri, & imprecationi, in haec erumpunt verba:* Aperi Domine os meum &c.

Aliter sentiendum de iis, qui ut suae obligationi faciant satis, litterarum studiis seduliorem operam navant. Iis enim culpae non est adscribendum, si inviti mente revolvant, dum orant, quae antea didicerunt. Monet citatus *Colet*, nec iis, neque scrupulosis permittendum esse, ut Officium repetant, etiamsi non recordentur se hunc vel illum Psalmum dixisse: tum quia repetitiones illae nihil prosunt, cum altera non sit melior prima; tum quia

ex repetitionibus fcrupulofſorum innumera fequuntur incommoda, angor confcientiae, capitis dolor, & aliquando neceſſitas recurrendi ad Pontificem, qui eos ab Officio difpenfet.

Poftremo notandum, duplicem diftingui a Theologis Attentionem, feu potius propofitum attendendi, *actualem*, & *virtualem*.

Actualis Attentio eft praefens animi applicatio ad orationem. Virtualis eft applicatio animi prius habita, quae virtualiter permanet, & quae diu expreffe, vel tacite non revocatur.

Expreffe revocatur Attentio, dum recitans, expreffe vult non attendere: tacite, revocatur, dum recitans fe diftractum advertit, & nihilominus diftractionem non repellit, nec mentem revocat ad attentionem.

Ex quibus omnibus concludimus, Attentionem fufficere virtualem, ut Horarum praecepto fatisfiat. Nam actualis, fpectata communi hominum fragilitate, vix eft poffibilis.

§. X.
De Devotione.

Fatentur Theologi omnes ex celebri *Cap.* Dolentes *de Celebrat. Miſſarum*, divinum Officium *ftudiofe*, & *devote* recitandum effe. Haec autem Devotio, in quanam corporis

poris compositione, animique dispositione consistat, hic discutiendum.

Q. I. *An Officii penso vere satisfaciant qui inter recitandum actionibus exterioribus se occupant?*

R. Cum dist. Si actiones exteriores, quae inter recitandum divinum Officium exercentur, possunt cum debita attentione, & devotione componi, concedo; si componi nequeunt, nego.

Hinc praecepto Horarum non satisfaciunt qui dum Officium recitant, scribunt, pingunt, aliud legunt, vel audiunt; quia hujusmodi actiones omnem attentionem, & devotionem sive internam, sive externam impediunt.

Contra obligationi divini Officii satisfaciunt qui illud recitant, dum se induunt, aut lavant; quia hujusmodi actus sunt adeo faciles ac familiares, ut nullam, praeter assuetudinem habitualem, requirant attentionem. Hinc Sacerdos ex praescripto Rubricae Missalis, dum se abluit, & sacris induitur vestibus, quasdam tenetur recitare preces. Idem dicendum de eo, qui Officium recitat leniter ambulando, prata & viridaria prospiciendo; quia haec nullo modo impediunt elevationem mentis in Deum, imo fortassis adjuvant.

Q. II. *Quinam corporis situs servandus in divini Officii recitatione?*

R. Cum dist. Si sermo sit de recitatio-

tione publica, ſtandum, ſedendum, aut genufleċtendum; quia id in Rubrica praeſcriptum eſt.

Si vero loquamur de recitatione privata, dico cum *Aug. lib.II. ad Simplicianum q. 4. non eſſe praeſcriptum, quomodo corpus conſtituatur ad orandum, dummodo animus Deo praeſens peragat intentionem ſuam. Nam & ſtantes oramus, ſicut ſcriptum eſt: Publicanus de longe ſtabat; & flexis genibus, ſicut in actibus Apoſtolorum; & ſedentes, ſicut David, & Elias.*

Cenſet *Concina* eum venialiter peccare, qui ſine rationabili cauſſa in lecto decumbens, canonicas Horas recitaret.

Q. III. *Quo in loco laudes divinae perſolvi debeant?*

R. Cum diſt. Si loquamur de privata recitatione, ubique laudes divinae perſolvi poſſunt, dicente Pſalmiſta: *In omni loco dominationis ejus, benedic anima mea Domino*. Cave tamen a locis, qui diſtractionibus, & mentis evagationibus ſunt obnoxii. Si vero ſermo ſit de publica pſalmodia, Chorus, ſeu Eccleſia deſtinata eſt ad Officium Canonicum, ut habetur in *Clementina* Gravi, *de Celebratione Miſſarum*.

Q. IV. *An qui exſiſtens in peccato mortali, recitat Horas Canonicas, ſatisfaciat praecepto Eccleſiae?*

R. Cum diſt. Si recitans Officium in pec-

peccato, habeat aliquod licet debile desiderium a peccato exeundi, & ad Deum revertendi, praecepto satisfacit; quia sic dispositus, utiliter & pie orat: eaque oratio spiritu Dei, non quidem inhabitantis, sed moventis & pulsantis animatur. Si vero habeat actuale propositum peccandi, ut antea, Officio non satisfacit; quia nec vere, nec pie orat. Ita Sorbonici quidam.

§. XI.
De Caussis excusantibus a recitatione Horarum Canonicarum.

Q. *Quaenam sint caussae excusantes a recitatione Horarum?*

R. Quatuor communiter numerantur a Theologis, scilicet *infirmitas*, *repentina occupatio*, *impotentia*, & *Papae dispensatio*.

I. *Infirmitas*, & quidem gravis, ita ut sine gravi incommodo, vel morbi incremento Horas legere non valeas. Ratio est, quia lex ecclesiastica non obligat cum propriae sanitatis notabili detrimento.

Dixi, *gravis*; quia levis infirmitas, ut capitis, vel stomachi dolor, qui nec continenter, nec graviter laedit, ab Officii lege minime excusat.

Disputant de laborante tertiana, vel quartana febri, utrum hujusmodi aegrotus anticipare teneatur recitationem Officii illa

la diei parte, qua febris cessat. Verum de his, & similibus eventibus certa & generalis regula decerni non potest; sed inspiciendae sunt circumstantiae. Haec enim febris aliquando ita vires extenuat, ut absque gravi incommodo Officii pensum absolvi nequeat: saepe vero ita levis est, ut nullo gravi incommodo afficiat aegrotum. In praxi ergo juxta varietatem circumstantiarum est resolvendum.

Porro gravi morbo laborans, absolute a lege Officii exemtus est, & licet aliquam parvam Horam absque gravi incommodo valeat recitare: quia tamen difficile est attingere, quid valeant aegroti vires, idcirco ad tollendos scrupulos, animique agitationes aegrotus graviter decumbens, ad nihil tenetur.

Imo cum aegroto graviter decumbente benignius est agendum, quia est in statu afflictionis, ita ut ad nihil teneatur; quamvis evidenter non sit, eum ex recitatione Officii notabile damnum esse subiturum.

In dubio de sufficienti infirmitatis gravitate, adeundus vel medicus qui decernat, vel superior qui dispenset.

Contra, Infirmitas, quae gravis non reputatur, absolute juxta prudentum aestimationem non excusat ab Officio. E. G. Qui ob debilitatem aut oculorum, aut capitis, aut ob aliud incommodum

dum non valet dicere Matutinum, valet tamen reliquas Horas dicere ſine gravi incommodo, ad hanc Officii partem tenetur; quia hujuſmodi aeger abſolute ab Officio non eſt exemtus.

Praeterea non ſolum actu aegrotantes, verum etiam a gravi morbo convaleſcentes ab Officii onere eximuntur, donec per aliquot dies eorum vires reficiantur; quamvis in hoc convaleſcentiae ſtatu Miſſam celebrare valeant.

II. *Repentina occupatio*, quae gravis ſit, & honeſta, nec differri, vel omitti queat abſque gravi ſcandalo, vel notabili detrimento proprio, vel proximi. Ratio eſt, quia quando urget majus praeceptum, ceſſat minus.

Hinc qui recitationem Officii ad horam uſque diſtulit, mediae noctis punctum proxime praecedentem, & tunc vocatur ad audiendam moribundi Confeſſionem, vel ad Communionem eidem praebendam, non ſolum poteſt, verum etiam debet Officium omittere, ut morituro ſuccurrat. Item ab Officio recitando excuſatur qui vocatus ad jurgia ſedanda, & ad pacem componendam, per totum diem impeditur. Item excuſatur qui per totum diem Confeſſiones audit, quas differre non poteſt. Item excuſatur qui habiturus eſt publicam Lectionem ad Cathedram, vel Lauream obtinendam; dummodo occupatio ſit totius diei,

diei, nec differri possit sine proprio, vel aliorum damno. Item excusantur Scholares, qui debent aliqua die actum defendere. Item Concionatores, qui nequeunt omittere conciones sine scandalo, aut nota. Advertunt tamen solidiores Theologi, eos omnes ad Officium teneri, si sine gravi difficultate possint illud anticipare, vel postponere. Hinc bene concludit *Concina*, exemtionis casum ex recensitis caussis rarissime accidere.

Nota, damnatam fuisse ab *Alexandro VIII.* hanc propositionem num. 21. *Habens Cappellaniam, aut quodvis aliud Beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacat, satisfacit suae obligationi, si Officium per alium recitet.* Ratio damnationis est, quia obligatio recitandi Officium canonicum est personalis, cujus finis est diurna ad divina occupatio: nec aliunde litteraria studia impediuntur per se loquendo, sed eâ recitatione adjuvantur.

III. *Impotentia* scilicet recitandi divinum Officium; quia impossibilium non est lex, neque obligatio.

Hinc qui Breviario citra culpam caret, excusatur ab ejus recitatione; quia ad impossibile nemo tenetur. Si tamen Horas memoria teneat, eas recitare adstringitur.

Dixi, *citra culpam*. Nam si propria culpa careat Breviario, non solum peccavit, quando Breviario se spoliavit;

ve-

verum etiam peccat, quamdiu perſiſtit in illa prava deliberatione illud non recitandi. Quod ſi eum prioris facti poeniteat, deſinit peccare, & excuſatur a recitatione, eo quod ſit impotens ad eandem. Inſuper qui non habet Officium proprium, tenetur commune recitare. Item ſi careat Breviario Romano, & aliud habeat, puta Benedictinum, in hac circumſtantia eo uti debet. Ratio eſt, quia praeceptum recitandi Officium duplex eſt, unum univerſale de ſeptem Horis perſolvendis, alterum de ſervando ritu cujuſque diei. Hinc qui non poteſt ad unum, ad alterum tenetur.

Idem dicendum de caeco, qui adſtringitur dicere partem Officii, quam memoriter tenet: non vero tenetur memoriae mandare quod neſcit. Qui Officium ſolus dicere nequit, ſed valet cum ſocio, tenetur illum adſciſcere, ſi commode eo uti valeat. Quia cum praecipitur finis, praecipiuntur media ordinaria, ut finis ſervetur.

Tandem nota propoſitionem damnatam ab *Innocentio XI.* num. 54. *Qui non poteſt recitare Matutinum, & Laudes, poteſt autem reliquas Horas, ad nihil tenetur; quia major pars trahit ad ſe minorem.* Ratio damnationis eſt, quia praeceptum Horarum eſt dividuum; unde qui non poteſt totum implere, ſed partem, ad eam tenetur, cum ſit dividua: ſicuti

uti qui non poteſt ſolvere centum aureos, poteſt autem decem, hos reddere cogitur. Axioma vero illud: *Major pars trahit ad ſe minorem*, intelligitur tantum de ſuffragiis, quorum major numerus rem definit, lege ſic praecipiente, *Cap. I. de Iis, quae fiunt a majori parte.*

IV. *Diſpenſatio*, quam concedere poteſt Summus Pontifex indefinite, utpote in jure Eccleſiaſtico. Epiſcopus cum ſuis ſubditis in caſibus tantum occurrentibus, & ex rationabili cauſſa. Pariter in caſibus occurrentibus Praelati Regulares valent diſpenſare cum ſuis ſubditis; quia jure communi Praelati Regulares reſpectu ſuorum ſubditorum veluti Epiſcopos ſe habent. Ceterum ſi quid aliud ultra valeant, inſpicienda ſunt eorum privilegia.

§. XII.
De non recitantium Horas reſtitutione.

Q. I. *Qui titulo Beneficii Horas Canonicas perſolvere adſtringitur, ſi eas omiſerit, ad quid tenetur?*

R. Beneficiarius, qui poſt ſex menſes a poſſeſſione Beneficii culpabiliter omittit Officium, tenetur pro rata omiſſionis Officii reſtituere fructus Beneficii. Ita diſponitur in Bulla *Pii V.* quae incipit, *Ex proximo.*

Dixi 1. *poſt ſex menſes a poſſeſſione Bene-*

ne-

neficii. Quia Beneficiarius, qui primis ſex menſibus a Beneficio obtento Officium non recitat, peccat quidem, ſed Eccleſiae indulgentia ad reſtitutionem non adſtringitur: *Concilium Lateranenſe V. Cap. 9. §. Statuimus*, & laudata Bulla *Pii V.*

Dixi 2. *culpabiliter omittit Officium*. Quia omiſſio Officii debet eſſe culpabilis, cùm in laudata Bulla dicatur, quod qui Officium *legitimo ceſſante impedimento non dixerit*, reſtituere fructus debeat. Hinc qui oblivione, infirmitate, aliâve juſta cauſsâ preces Canonicas omittit, reſtituere non tenetur.

Dixi 3. *pro rata omiſſionis Officii*; ideſt ea pars fructuum Beneficii, quae correſpondet diei, quo Officium in totum, vel ex parte Beneficiarius non recitat.

Rata autem menſuratur hoc modo, ut pro toto Officio reſtituantur integri fructus diei correſpondentes: & pro ſolo Matutino cum Laudibus reſtituatur dimidium fructuum; pro reliquis Horis aliud dimidium: pro qualibet parva Hora ſexta pars dimidii fructuum ejuſdem diei.

Hinc qui culpabiliter omittit Officium, & ex uno vel pluribus Beneficiis percipit quotidie nummos duodecim, ſi uno die totum Officium omittat, tenetur reſtituere partem integram, ideſt, totos nummos duodecim: & ſi omittat ſolum Matutinum cum Laudibus, tenetur reſtituere medieta-

tem,

tem, ideſt nummos ſex; ſi vero omittat unam ex ceteris Horis, tenetur reſtituere ſextam partem medietatis, ideſt nummum unum.

Quid ſi Beneficiarius omittat partem notabilem Horae, vel ex ſingulis Horis conflatam?

R. Quoties Beneficiarius omittit eam Officii partem, ut ſufficiat ad peccatum mortale, toties partem fructuum correſpondentem reſtituere tenetur. Hanc Regulam tradunt aliqui non ignobiles Theologi.

Q. II. *Num Beneficiarius, qui omiſit Officium, ſed alia Beneficii munia implevit, puta Parochus, qui Sacramenta miniſtravit, aegros inviſit &c. teneatur pro rata reſtituere omnes fructus Beneficii, an poſſit ſibi retinere partem, aliis miniſteriis reſpondentem?*

R. Qui alia onera habent ſuis Beneficiis adnexa, quam precum Canonicarum, ut ſunt Epiſcopi, Parochi &c. poſſunt retinere partem fructuum, quae correſpondet aliis miniſteriis, reliquam vero partem reſtituere. Ratio eſt, quia qui partem praeſtitit laboris, ſtipendii partem retinere valet. Nec obſtat *Pii V.* lex, quae privat omittentem Horas omnibus Beneficii fructibus. Nam, ut teſtantur ſaniores Theologi, Piana lex cum tanto rigore recepta non eſt; Quantitas vero fructuum, quam propter obſequia praeſtita Beneficiarius reti-

tinere valet, ex eorumdem obsequiorum natura & numero dijudicari debet.

Q. III. *Unde, & cui facienda sit praefata restitutio?*

R. Ad I. cum dist. Si Beneficiarius habeat bona patrimonialia, ex istis restitutionem facere debet ob malam perceptionem, & consummationem fructuum sui Beneficii. Ratio est, quia Beneficiarius, detracta legitima sustentatione, quidquid superest ex suo Beneficio, pauperibus erogare debet. Ergo si ex hoc superfluo restituit, restitutio non valet, cum restituat ex eo, quod jam debet.

Si vero nulla habeat bona, nisi beneficiaria, tenetur parce vivendo, aliquid ex ordinariis expensis detrahere, ut quantum poterit, suae obligationi faciat satis. Quod si Beneficiarius revera pauper sit, & tenues sint fructus sui Beneficii, poterit fructus illos restituendos, tanquam pauperi, sibi applicare.

R. Ad II. Praedicta restitutio facienda est Beneficii fabricae, vel pauperibus ex citatis juribus.

Nota I. in libertate Beneficiarii esse, fructus debitos erogare vel fabricae Beneficii, vel pauperibus.

Nota II. nomine fabricae Beneficii venire sive Ecclesiam, sive domum, sive agros Beneficii. Unde in his reparandis, augendis, excolendis licite fructus, restitutioni ob-

obnoxii, applicari possunt.

Nota III. applicationem hanc fieri debere fabricae ejusdem Beneficii. Unde non valet, si fiat Ecclesiae fundis alterius Beneficii.

Nota IV. restitutionem, quae fit pauperibus, necesse non esse, ut fiat pauperibus loci, ubi est Beneficium. Quia Bulla quoad pauperes absolute, & indefinite loquitur: attamen naturalis aequitas postulat, ut pauperes loci extraneis praeferantur.

Q. IV. *Num fructuum restitutio suppleri possit per eleemosynas quascunque, factas a Beneficiario, antequam preces canonicas omittat?*

R. Neg. & oppositum est damnatum ab *Alexandro VII.* in sequenti propositione num. 33. *Restitutio fructuum ob omissionem Horarum suppleri potest per quascunque eleemosynas, quas Beneficiarius de fructibus sui Beneficii fecerit.* Ratio damnationis est, quod Beneficiarius elargiens eleemosynas, nullo habito respectu ad restitutionis suae debitum, liberaliter donat; ac proinde oneri, quod ex justitia debet, non facit satis.

Q. V. *An Beneficiarius ad restituendum teneatur ante judicis sententiam?*

R. Affir. & contrariam opinionem damnavit *Alexander Papa VII.* in sequenti prop. num. 20. *Restitutio a Pio V. imposita Beneficiariis non recitantibus, non de-*

debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam judicis, eo quod sit poena. Ratio damnationis est, quia lex ista non est mere poenalis, sed conditionalis, non faciendi scilicet fructus suos, si culpabiliter Officium non recitet.

§. XIII.
De Officii recitatione in Choro.

Q. I. *Utrum Canonici, seu Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum Praebendati ad recitandum Officium in Choro teneantur?*

R. Affir. & quidem quotidie; nisi aliud ferat institutio, vel propriae Ecclesiae consuetudo, cui Praebendatus inhaerere licite valet. Nam in quibusdam Ecclesiis totum canitur Officium singulis diebus; in aliis vero non totum, nec in dies singulos, sed Dominicis, & diebus festis.

Q. II. *An peccet graviter Canonicus, qui absque legitima caussa a Choro abest?*

R. Affir. si notabiliter absit ultra tempus a Tridentino permissum. Ratio est, quia Beneficium datur propter Officium. Sed ad Officium Canonici non solum privata, sed etiam publica in Choro Horarum Canonicarum decantatio spectat. Ergo &c. Hinc *Tridentinum sess. XXIV. cap.* 12. de Canonicis loquens praecipit, ut *omnes divina per se, & non per substitutos* com-

compellantur obire Officia, atque in Choro ad psallendum instituto hymnis, & canticis Dei nomen reverenter, distincte, devoteque laudare.

Dixi 1. *notabiliter:* nam si Canonicus absit per tres, vel quatuor dies, communiter docent, non peccare graviter.

Dixi 2. *ultra tempus a Tridentino permissum.* Concilium enim Canonicis permittit per tres menses abesse.

Dixi 3. *sine legitima caussa.* Nam Canonici & a Choro abesse, & Beneficiorum fructus percipere possunt, non tamen distributiones, 1. cum per quinquennium Theologiae, aut Juri Canonico vacant in aliqua Universitate, excluso quorumque studio particulari. Quam facultatem licet alii contendant ad septennium usque extendi posse; probabilior tamen est opinio *Garciae* eam facultatem ad solum quinquennium restringentis. Ad cujus limitationis probationem allegantur a cit. Canonista Declarationes Sacrae Congregationis. Idem sentit *Barbosa III. part. de Potest. Ep. alleg.* 56. *num.* 31. Praeterea ejusmodi Praebendati licentiam ab Ordinario petere tenentur, ut possint caussâ studii abesse, cum id expresse praescribatur in Bulla, *Ad cujus aures*, edita a *Pio* V.

Eodem privilegio gaudent Canonici docentes Theologiam aut Jus Canonicum in aliqua Universitate, aut studio gene-

nerali, *Cap.* ult. *de Magistris*. Quod privilegium extendunt etiam Auctores ad docentes grammaticam, aliasque artes ad Theologiam & Jus Canonicum disponentes: secus ad docentes Jus Civile; cum id ad Ecclesiasticos non pertineat. Videsis *Concinam lib. II. in Decal. Dissert.* 2.

2. Cum duo Canonici sunt in obsequio Episcopi ad Ecclesiae utilitatem, *Cap.* 15. *de Clericis non residentibus*.

3. Canonici, qui sunt in obsequio Papae ad eundem finem, *Cap.* 14. eod. tit.

Q. III. *An satisfaciant Choro, & lucrentur distributiones Canonici, qui tantum assistunt, & non canunt?*

R. Neg. Nam Canonici ex Officio debent Choro inservire, ex *Clementina I. de Celebrat. Missarum*. Sed Choro non inserviunt, qui tanquam statuas se praebent, sed qui Deum laudant, populumque devoto cantu in Deum excitant. Vide Constitutionem *Benedicti XIV.* quae incipit, *Super oblatas*, & Breve ejusdem Pontificis *ad Patriarcham Aquileensem* 1748. ubi declarat consuetudinem Canonicorum tantum interessendi Choro extirpandam esse. Atque hoc verum est, etiamsi Canonici habeant Mansionarios, Cappellanos, aliosque conductitios Ministros, quibus onus psallendi demandatur. Nam onus Chorum frequentandi, persolvendique Officium, Canonicorum personas afficit; & sicut per a-

 lios

lios residentia, & praesentia suppleri nequit, ita neque debitum recitandi Officium.

Nota, teneri Canonicos canere, & psallere Officium juxta ritum ordinarium, & consuetum cujusque Ecclesiae. Hinc quando festis sollemnioribus Officia divina a Musicis cantantur, non tenentur Canonici suam immiscere vocem; sed sufficit, si submissa voce recitent, quae eo modo canuntur.

Q. IV. *Quibus poenis obnoxii sint Canonici, seu Praebendati, qui absque legitima caussa Choro absunt?*

R. Privari eos tum quotidianis distributionibus, tum fructibus Praebendae.

Sed hîc nota, duplicem in hos poenam esse constitutam. Prima est, qua ipso facto privantur quotidianis distributionibus, ut decrevit *Bonifacius VIII. in cap.* un. *De Clericis non residentibus in 6.* Idem statuit *Tridentinum sess. XXIV. cap.* 12. cui poenae obnoxii sunt Canonici ante judicis sententiam.

Altera poena est ex *Tridentino*, Praebendatos scilicet, qui ultra tempus a lege permissum absunt a Choro, pro primo anno, primâque vice spoliandos esse fructuum Beneficii medietate: si vero perstiterint in negligentia, omnibus Beneficii fructibus privandos: denique si fuerint contumaces, ipso Beneficio spoliandos. Conferendus est

hîc

hîc *Concina* cit. *dissert.* Ad hanc secundam poenam subeundam requiri judicis sententiam, communiter docent *Salmanticenses*. Sed hodie contrarium tenendum monet *Concina* loco laudato ex citatis literis *Benedicti XIV.* Ex quibus satis patet, Canonicos, qui vel non intersunt, vel non canunt, aut psallunt in Choro, ne dum distributiones quotidianas amittere, sed etiam fructus ex Praebendis suos non facere, adeoque ad restitutionem adstringi. Sed pro majore hujus rei intelligentia aliqua sunt hîc dispicienda.

Q. V. *Quid sint quotidianae distributiones, & quibus debeantur?*

R. I. Distributiones quotidianae sunt ea portio ecclesiasticorum redituum, quae quotidie distribui solent iis Beneficiatis, qui statis horis divino Officio intersunt.

Quantitas autem harum distributionum ex *Trid. sess. XXI. cap.*3. deberet esse tertia pars proventuum ex omnibus Beneficiis. Sed haec *Tridentini* constitutio ubique in praxin deducta non est.

Caussa vero hujus institutionis fuit divini cultus augmentum ob praesentiam, frequentiamque ministrorum; ut *quos panis interni dulcedo non movebat, panis corporis refectio provocaret*, ajebat *Ivo Carnotensis epist.* 219.

R. II. Distributiones quotidianas deberi iis solis, qui Choro intersunt, ut

ſtatuitur variis juribus, & praeſertim a *Bonifacio VIII.* cap. un. *de Cler. non reſid. in 6.* Quod *Bonifacii* decretum inſtauravit *Tridentinum ſeſſ. XXIV. cap.* 12. & quo religioſius cuſtodiretur, omnem prohibuit inter Beneficiarios *colluſionem*, aut *remiſſionem*.

Nota, tunc *colluſionem* haberi, quando Canonici invicem conveniunt, de non notandis abſentibus, quamvis abſentes revera fuerint: *Remiſſionem* vero haberi, cum perſona ſponte, ac ſine ulla conventione diſtributiones quotidianas alteri parti remittit, & relinquit. Utrumque Concilium improbat, atque interdicit.

Q. VI. *Quibus de cauſſis a Choro abſens quotidianas diſtributiones lucrari poſſit?*

R. Tribus de cauſſis, prout definivit *Bonifacius VIII.* in laud. *Cap.* quarum prima eſt infirmitas; altera juſta & rationabilis corporis neceſſitas; poſtrema evidens Eccleſiae utilitas.

Nota, eum, qui Choro abeſt propter recenſitas cauſſas in textu expreſſas, non privari nec fructibus praebendae, nec diſtributionibus: qui vero abeſt ob alias cauſſas, licet juſtas, ſed a tribus recenſitis diverſas, puta ob viſitationem, ob ſtudium &c. lucrari quidem fructus praebendae, ſed non diſtributiones. Explicandae mox ſunt praefatae cauſſae.

Prima itaque eſt infirmitas, non quidem

dem levis, sed tantum gravis, vel quae gravis fieri potest per accessum ad Ecclesiam. Atque hoc locum habet, etiamsi infirmitas propriâ culpâ contracta sit. Ratio est, quia lex absolute, & indistincte excusat infirmos.

Quid si Canonicus infirmus consueverat ante infirmitatem abesse a Choro: an acquireret infirmitatis tempore distributiones?

R. Neg. Ita pluries decisum fuit a *Sacra Congregatione*, ut testatur *Benedictus XIV. in institutione* 107. §. 8. *num.* 47. Ratio est, quia tunc absentia non morbo tribuitur, sed voluntati, qua putatur Canonicus inhaerere eidem proposito Ecclesiae non inserviendi.

Inter aegrotantes numerandus est caecus, cui a die quo lumine caruit, debentur distributiones. Ita pluries decisum fuit in eadem *Sacra Congregatione*, attestante eodem Pontifice, loco laud. *num.* 48.

Item a Choro excusatur qui senio ita confectus est, ut divinis Officiis, quibus praesertim consueverat interesse, commode adesse non valeat.

Altera caussa est rationabilis corporis necessitas, sub qua intelligitur timor cujuscunque gravis damni in vita, honore, aut bonis.

Hinc a Choro excusatur, & distributiones acquirit, qui ex medici prudentis

judicio domi moratur ad medicinam sumendam, ad venam scindendam: item qui ad balnea, vel ad locum salubrioris aëris proficiscitur, ut sanitatem recuperet.

Item distributionum participes sunt, quibus ob inimicitias, atque injurias in Chorum venire non permittitur; modo tamen ii injurias hasce immerito patiantur. *Sacra Congregatio* apud Eundem *num.* 51. Item qui in carceribus injuste detinentur. Ibid. *Sacra Congregatio*.

Item distributiones lucratur injuste excommunicatus, vel suspensus. Secus, si juste sit excommunicatus, vel suspensus. *Concina* hîc.

Irregularis si Choro assistat, distributiones non amittit. Quia irregularitas non impedit assistentiam divinis Officiis; modo contracta sit post collationem Beneficii. Secus, si irregularitas sit contracta ante Beneficii collationem; quia probabilius est collationem Beneficii factam irregulari, esse nullam.

Tertia caussa est evidens Ecclesiae utilitas; modo ea sit gravis judicio Episcopi, vel Capituli, & sit Ecclesiae propriae, vel universalis, vel totius dioecesis, non vero alterius Ecclesiae particularis.

Dices: In *Cap.* Cum non deceat, *de Electione in 6.* contrarium decernitur. Ibi enim Clerici ad Sedem Apostolicam accedentes, suarum Ecclesiarum negotia tractatu-

turi, distributionibus quotidianis privantur.

R. Textum intelligendum esse de peculiari casu, quo scilicet Canonicus ad Sedem Apostolicam accedit ob electionis instructionem.

Hinc quotidianae distributiones tribuendae sunt Canonico, qui propter Capituli sive Ecclesiae utilitatem, Chorum dimiserit; si scilicet tempore, quo divina Officia celebrantur, ex mandato Capituli in supputandis rationibus mensae, aut fabricae occupetur. Item si Sede vacante, Vicarius Capitularis eligatur. Secus, si Episcopi Vicarius fiat, cum non Ecclesiae, sed Episcopo inserviat. Idem dicendum de Canonico, qui a proprio Episcopo invisum mittitur limina Apostolorum. Idem de eo, qui ab Episcopo mittitur ad Concilium Generale, vel Provinciale tanquam Theologus, Canonista, vel Procurator.

Canonico Poenitentiario debentur distributiones, si tempore divini Officii in audiendis fidelium Confessionibus occupetur; cum ex *Tridentino* Poenitentiarius, in Ecclesia audiens Confessiones, praesens in Choro censeatur: Idem dicendum de Canonico, quem Episcopus in locum Poenitentiarii suffecit. Idem dicendum de aliis, qui de mandato superioris Poenitentiarium adjuvant in magno concursu. Quod dicitur etiam de Canonico Curato, qui tempore divini Officii o-

pera sui muneris exercet.

Canonicus Theologus, seu Lector distributiones acquirit, si Choro absit die, quo Lectionem habet, vel concionatur. Secus de Canonicis examinatoribus, qui si Choro non intersint occasione examinis pro Ecclesia parochiali, vel pro Ordinum collatione, distributiones non lucrantur. *Sacra Congregatio* apud Eundem.

Nota I. indultum lucrandi distributiones ob aliquam ex tribus recensitis caussis non extendi ad eas, quae ex manifesta testatorum voluntate non conceduntur, nisi assistentibus Choro. Ut sunt Anniversaria, quorum distributiones non impertiuntur, nisi in Choro praesentibus.

Nota II. distributiones, quas amittunt absentes, ex *Tridentino* accrescere praesentibus: nec Canonicos praesentes jure posse absentibus illas remittere, donare, aut de eisdem transigere.

TRA-

TRACTATUS DE VOTO, ET JURAMENTO.

CAP. I.

De Voto.

§. I.
De Voti Natura, & Divisione.

Q. I. QUid *sit Votum?*
R. Est *promissio deliberata, Deo facta, de bono meliori.*

Dicitur 1. *promissio*: quia includit voluntatem se obligandi, per quod distinguitur a proposito, quamvis firmo.

Dicitur 2. *deliberata*, seu facta cum sufficienti advertentia, qualis requiritur, & sufficit ad peccatum mortale. Hinc non obligant Vota facta in ebrietate, etsi fuerint praevisa.

Dicitur 3. *facta Deo*: votum enim est actus latriae, qui soli Deo exhiberi potest. Quando ergo Sanctis vota nostra nuncupamus, ea Deo immediate dirigimus in honorem Sanctorum.

Dicitur 4. *de meliori bono*; ut ſcilicet de eo ſit, quod omnibus ſpectatis ſit melius, quam oppoſitum. Hinc votum contrahendi matrimonium abſolute ſpectatum, eſt invalidum, quia eſt impeditivum continentiae, quae matrimonio melior eſt. Secus ſi matrimonium, ſpectatâ aliquâ circumſtantiâ, cenſeatur melius. Ut ſi quis voveat ducere puellam a ſe violatam; quia ſub hac circumſtantia votum de ineundo matrimonio eſt validum.

Q. II. *Quotuplex ſit Votum?*

R. Multiplex eſt, & I. dividitur Votum ratione materiae in *reale*, *perſonale*, & *mixtum*. Habetur illud, cum res aliqua vovetur, pecunia ſcilicet, vel aliquid pretio aeſtimabile: Hoc autem, cum vovetur actio humana, ut precum recitatio: Mixtum vero utrumque complectitur, nimirum actionem, & rem. Ut ſi quis voveat peregrinationem ad B. Virginem Lauretanam, ibique calicem argenteum offerre.

Dividitur II. ratione modi in *abſolutum*, *conditionatum*, & *poenale*. Primum fit ſimpliciter, & ſine conditione, ut voveo caſtitatem. Alterum fit ſub conditione, ut ſi dicas: ſi eam dignitatem conſequar, voveo me in honorem B. Virginis altare erecturum. Tertium vero fit, aliquid in poenam criminis promittendo, ſive illud admitti contingat, ut voveo jejunium, ſi juravero. Poenale aliquando duplex eſt, & ex-

& extenditur tum ad poenam, tum ad fugam criminis. Ut si dicas: voveo non ludere, & si lusero, voveo jejunium. Aliquando est simplex, & extenditur ad solam poenam. Ut si lusero, voveo jejunium.

Denique ratione sollemnitatis, in *sollemne*, quod publice ab Ecclesia acceptatur; & *simplex*, quod eam sollemnitatem non habet.

§. II.
De Voti Validitate.

Q. I. *Quaenam requirantur, ut Votum sit validum?*

R. Ex parte actus requiritur, ut promissio sit *deliberata*, *spontanea*, & *intentio* adsit *vovendi*; ex parte vero materiae, seu rei votae, ut sit *de meliori bono*, & *possibili*.

I. Itaque requiritur, ut promissio sit deliberata. Nam Votum privata lex est, quam vovens sibi imponit. Ergo ab homine plene sui compote, & cognoscente quod promittit, proficisci debet. Hinc validum non est Votum, quod ex subitaneo motu, vel ex animi passione, judicium & deliberationem perturbante, concipitur. Item nullum est Votum ex errore conceptum circa substantiam rei votae, vel circa caussam finalem, qua cognita agens non vovisset.

An

An requirantur aliqua verba, vel signa, ut Votum perficiatur?

R. Neg. Nam cum Votum dirigatur ad Deum, qui intuetur cor, sufficit promissio corde facta.

II. Requiritur, ut promissio sit spontanea, seu libera a coactione. Metus enim gravis injuste incussus ad extorquendum votum, illud invalidat; cum Deus non accipiat promissionem per injuriam extortam. Hinc hujusmodi Vota ab Ecclesia reprobantur, *Cap. I. & II. de his, quae vi &c.*

III. Requiritur intentio vovendi. Nam ut supra dictum est, Votum privata lex est, quae ultra intentionem legislatoris non obligat. Unde etsi aliquis utatur hac voce, *promitto*; si non adsit intentio vovendi, erit simplex propositum; ut patet in actu contritionis, in quo eliciendo quidam utuntur voce *promitto*, nempe fugam peccati, nec tamen vovent.

Quid si vovens, animum habeat sese obligandi, sed non exsequendi promissum?

R. Communissime docent ad votum teneri.

IV. Requiritur, ut sit de meliori bono, ac possibili. Nam Votum debet esse Deo gratum. Ergo res, quae illi offertur, honesta, nec majoris boni impeditiva esse debet. Hinc res indifferentes, inutiles, vitiosae, impossibiles, Voti materia non sunt.

Q. II.

Q. II. *An opus aliunde praeceptum possit esse materia Voti?*

R. Affir. Nam nihil obstat, quo minus novo Religionis vinculo adstringamur praestare opus, ad quod aliunde ex lege divina, vel humana adstricti eramus.

Q. III. *An validum sit Votum ejus, qui vovit Deo rem bonam, sed ob malum finem; puta si quis voveat eleemosynam ob vanam gloriam?*

R. Si eleemosyna accipiatur ut medium ad vanam gloriam comparandam, irritum est Votum. Nam hujusmodi promissio specificatur a fine, qui eandem depravat, vitiosamque reddit, ac proinde a Deo repudiandam.

Q. IV. *An validum sit Votum vitandi omnia peccata venialia?*

R. Neg. Quia hujusmodi Votum esset de re moraliter impossibili, cum omnia peccata venialia vitari nequeant sine speciali privilegio: quod solum B. Virgini fuit concessum, ut testatur *Tridentinum sess. XI. Can.* 16. Secus, si Votum sit editum de vitando aliquo genere peccati venialis, puta mentiendi, quia hoc moraliter possibile est. Ita communissime.

Vota emissa a quibusdam insignibus pietate personis, nimirum nunquam venialiter peccandi deliberate, efficiendi semper quidquid perfectius intelligerent, ex speciali divino instinctu edita fuisse contendimus.

Q. V.

Q. V. *An validum sit Votum de non vovendo?*

R. Neg. Quia non est de meliori bono; cum res Deo grata sit votorum nuncupatio.

Q. VI. *Num valeat Votum de non vovendo, nisi ex consilio Confessarii?*

R. Affir. Quia includit prudentem edendi voti rationem.

Q. VII. *Quid si postea hic voveat, non petito Confessarii consilio, num peccet contra primum votum, an adstringatur servare secundum?*

Ad I. R. Affir. Quia vovendo, non petito consilio, violat primum votum de se validum.

Ad II. R. inspiciendam esse voventis intentionem. Nam si edendo primum votum, intendat secundum non fore validum, nisi requisito Confessario; tunc si immemor primi voti postea voveat, secundum nullum est defectu conditionis non servatae. Si vero non intendat petitionem consilii, ut conditionem contrahendi in posterum obligationem voti, secundum votum est validum. Item valet secundum, si vovens in eo emittendo recordetur primi, cum primam obligationem retractare censeatur.

§. III.

§. III.
De Voti Obligatione.

Q. I. *An Votum validum obligationem inducat, ut vovens teneatur exsequi, quod promisit?*

R. Affir. & quidem ex genere suo sub gravi; nisi levitas materiae excuset. Ut si voveas recitare unum Pater, & Ave.

Q. II. *Ex qua virtute hujusmodi obligatio oriatur?*

R. Ex virtute Religionis, cum Votum sit actus Religionis, quo Deo cultus latriae exhibetur.

Q. III. *An opus, ex lege voti factum, sit majoris meriti opere facto sine voto?*

R. Affir. si cetera sint paria; quia est actus sublimioris virtutis, ideoque laudabilior.

Q. IV. *An Vota per alios impleri possint?*

R. Cum dist. Si votum sit *personale*, per alium impleri nequit. Quia votum personale afficit personam, ipsumque voventem adstringit. Unde si vovens factus sit impotens, ad nihil tenetur. Vovisti jejunium, ad nihil teneris, si jejunare non valeas.

Si vero Votum sit *reale*, per alium impleri potest. Quia votum reale affixum est bonis, & in exhibitione rei promissae, ca-

calicis nimirum , cerei &c. ejus exſecutio conſiſtit . Haec aeque per alium , ac per voventem praeſtari poſſunt . Imo ſi alius tuo nomine, licet te inſcio, promiſſum ſolverit, dummodo quando factum reſciveris, ratum habeas, votum eſt adimpletum.

Denique ſi Votum ſit *mixtum* , vales illud adimplere per alium ea parte , qua eſt reale . Voviſti peregrinationem ad B. Virginem Lauretanam, ibique calicem offerre: factus es impotens ad peregrinationem , per alium potes , & debes calicem mittere.

Q. V. *An heres teneatur ſolvere realia Vota teſtatoris?*

R. Affir. Quia Vota realia afficiunt ipſam hereditatem , ſuntque onus eandem concomitans : ſed non ultra vires hereditatis, & ſolutis prius ex juſtitia debitis.

Nota , obligationem heredis non eſſe Religionis, ſicut fuit in defuncto , ſed juſtitiae; quia preſſe loquendo obligatio Voti eſt perſonalis . Quare poſteri , qui ſuorum majorum Vota ſolvere tenentur , niſi eorum Vota ratificaverint, ex alio capite, quam a Religione tenentur.

Q. VI. *Ad quid teneatur, qui factum alienum vovit?*

R. Tenetur curare, quantum poteſt, ut is pro quo vovit , illud impleat : Hic tamen ad illud non tenetur , niſi conſenſerit . Hinc filii non obligantur Votis paren-

rentum, eos alicui Religioni devoventium; quamvis parentes teneantur, quantum possunt, procurare, ut eam Religionem ingrediantur.

Q. VII. *Quo tempore implendum sit Votum?*

R. Cum dist. Si vovisti, puta eleemosynam, nullo assignato temporis intervallo, teneris quam primum commode potes illud implere viri prudentis arbitrio. Si certum tempus constituisti pro Voti exsecutione; puta vovisti jejunare singulis sextis feriis, ad exsecutionem Voti non teneris, nisi adveniente tempore.

Q. VIII. *An Votum non impletum tempore designato desinat obligare?*

R. Cum dist. Si tempus sit affixum ad sollicitandam obligationem, teneris etiam elapso tempore designato Votum implere. E. G. Vovisti dare centum intra mensem, elapso mense, non extinguitur debitum implendi Votum.

Si vero tempus sit affixum ad finiendam obligationem, puta vovisti jejunium in vigilia alicujus Sancti, transacto tempore, extinguitur Voti obligatio. Sicuti extinguuntur praecepta Ecclesiastica jejunandi in vigiliis Sanctorum.

Nota, temporis designationem ex intentione voventis, vel ex natura Voti esse dignoscendam.

Q. IX. *Num qui dubitat de Voto, te-*

teneatur illud implere?

R. Affir. Nam facto diligenti examine, si vovens remaneat in vero dubio, tutior pars est eligenda: etsi dubium sit de emissione Voti, vel de Voti quantitate, qualitate, perpetuitate. Ita Theologi omnes, qui pium justumque bellum Probabilismo indixerunt.

§. IV.
De Voti Deobligatione.

Q. I. *Num Votum validum desinat aliquando obligare?*

R. Affir. Et hoc duplici ex capite 1. quando Votum cessat per seipsum 2. Quando tollitur ab alio.

Q. II. *Quando Votum cesset per seipsum?*

R. Quando materia, super quam cadit Votum, notabiliter mutatur: quod accidit, cum materia Voti physice, vel moraliter fit impossibilis. Nam ut homo teneatur facere quod promisit, requiritur, ut omnia immutata permaneant.

Hinc vovisti Sacri auditionem, eo die non teneris, si infirmus in lectulo decumbas; quia eo in statu materia Voti, seu Sacri auditio est tibi physice impossibilis. Item vovisti peregrinationem, quam sine peccato instituere non vales, non teneris; quia est tibi moraliter impossibilis. Unde si edito

to Voto , in ejus exſecutione occurrat vel periculum peccandi , vel periculum vitae, honoris, vel detrimentum alterius rei gravis momenti , Votum quamvis validum , deſinit obligare.

Idem dicendum , quando ceſſat cauſſa finalis proxima Voti. E. G. Voviſti peregrinationem , ut patris ſalutem obtineas : hic mortuus eſt, ad nihil teneris; quia finis Voti cum Voto cadit.

Q. III. *Quomodo Votum tollatur ab alio?*

R. *Irritatione*, *diſpenſatione*, & *commutatione* .

§. V.
De Voti Irritatione.

Q. I. *Quid ſit Irritatio Voti?*

R. Eſt Voti ablatio facta ab eo , cujus poteſtati dominativae ſubjecta eſt perſona vovens, vel materia voti.

Nota I. Irritare idem ſonat , ac nullum reddere votum .

Nota II. Superiores alios habere poteſtatem *dominativam* ſive dominium in ſubditos, ut pater in filios: alios tantum habere poteſtatem *juriſdictionis*, ſive directionis , ut Epiſcopus in Clericos . Epiſcopi enim in Clericos , & multo minus in laicos non dominantur, ſed juriſdictionis tantum poteſtate in eoſdem potiuntur . Ad ir-

irritationem non sufficit potestas jurisdictionis, sed requiritur potestas dominativa.

Q. II. *Quotuplex sit Irritatio voti?*

R. Duplex; *directa* scilicet, & *indirecta*.

Directa ea est, quae fit ab eo, cujus potestati dominativae subjecta est voluntas voventis. Per hanc votum irritatur in perpetuum, nec unquam reviviscit, nisi a vovente renovetur.

Indirecta est ea, quae fit ab eo, cujus potestati dominativae est subjecta materia Voti. Per hanc impeditur voti exsecutio. Unde potius Voti suspensio, quam irritatio nuncupanda.

Q. III. *Quaenam Vota irritari possint?*

R. Ea, quae sunt in praejudicium tertii. Nemo enim vovere potest contra jura alterius, nec similia vota acceptat Deus; sunt enim de re illicita.

Q. IV. *Quinam possint irritare vota directe?*

R. I. Pater, qui omnia prorsus filiorum impuberum vota, etiam de amplectenda Religione, etiam de peculio castrensi &c. irritare potest. Ita *D. Thomas* 2. 2. *q.*88. *art.* 9. Item cum patre possunt qui gerunt patris vicem, ut 1. Avus, si pater decesserit, aut longe distet. 2. Tutor, qui in locum patris succedit. 3. Horum defectu Mater, etiamsi non sit tutrix, cum ad eam

eam pertineat cura : nisi sit alius , qui impuberis imbecillitati consulat.

R. II. Superior Regularium omnium subditorum Vota directe irritare potest , praeter Votum artioris Religionis . Ita *D. Thomas*, qui ibid. *art.* 8. *ad* 3. docet, *nullum Votum Religiosi esse firmum , nisi de consensu Praelati* . Idem communiter docent de Monialibus, quarum vota Abbatissae, vel Priorissae irritare valent.

Duo tamen hîc discutienda remanent, 1. an Pater Vota ante pubertatem edita irritare valeat , si puer pubertatem attigerit , neque ea ratificaverit. 2. An Praelatus Regularis possit licite & valide irritare Vota subditorum, in quae Praecessor consenserit .

Ad I. R. AEqualibus fere momentis inter Theologos disputari. Ideoque ob dubium irritationi paternae adjungatur dispensatio Superioris Ecclesiastici .

Ad II. R. Affir. Quia consensus Praelati in Votum inferioris non ligat superiorem .

Q. V. *Quinam possint irritare Vota indirecte ?*

R. I. Pater potest indirecte Vota filiorum puberum personalia irritare , quae gubernationi familiae officiant : E. G. Vota peregrinationis, jejuniorum, quae forent curae paternae adversa . Ratio est , quia pater habet jus regendi filium , & ejus operibus utendi . Di-

Dixi, *Vota, quae gubernationi familiae officiant*. Nam vota, quae regimen domesticum non impediunt, nequit pater pro sui voluntate infringere, ut sunt vota castitatis, Religionis, certarum precum &c.

R. II. Dominus habet jus irritandi omnia vota, quae servitutem, & obsequium a servo sibi exhibendum impediunt: cum hujusmodi vota sint in praejudicium herilis potestatis.

R. III. Maritus potest indirecte uxoris vota irritare, etiam ante matrimonium emissa, quae officiunt usui matrimonii, prolis educationi, & gubernationi familiae; cum juri matrimoniali obsint.

Similiter uxor potest irritare mariti vota, quae sibi, vel familiae praejudicant, puta votum de gestando habitu Religioso, de servanda omnimoda castitate. Excipit *D. Thomas* suo tempore votum peregrinationis Hierosolymitanae in subsidium Terrae Sanctae.

Neuter vero conjux irritare potest alterius vota, quae non sunt in ipsius, aut familiae praejudicium. E. G. Neuter impedire potest, quin alter voveat castitatem post mortem alterius servandam, eleemosynas de bonis sibi propriis &c.

R. IV. Superior Regularis Novitiorum vota personalia indirecte tantum irritare valet, cum Novitii sint sui juris. Un-

Unde si ii, relicta Religione, ad seculum redeant, Vota reviviscunt, eaque adimplere coguntur.

Q. VI. *An valida sit Irritatio Voti facta sine caussa?*

R. Affir. Quia non requiritur caussa, ut quis valide suo jure uti valeat. Imo hujusmodi irritatio valida est; quia vota subditorum emittuntur sub hac tacita conditione, si Superior consentiat: quem consensum nullo jure Superior praebere cogitur.

§. VI.
De Voti Dispensatione.

Q. I. *Quid sit voti Dispensatio?*

R. Est relaxatio, seu condonatio voti, Dei nomine facta, a Superiore legitimo, idest ab eo qui Ecclesiasticam jurisdictionem habet in foro exteriori.

An sit in Ecclesia facultas dispensandi ab obligatione Voti?

R. Affirmant Catholici omnes, & patet ex constanti Ecclesiae usu.

Q. II. *Quinam possint dispensare a Votis?*

R. Jure ordinario omnes, & singuli Praelati Ecclesiae, qui jurisdictionem habent in foro externo. Quia Dispensatio non ordinis, sed spiritualis jurisdictionis est actus.

Dixi, *jure ordinario*. Nam potestas isthaec delegari, vel committi potest omnibus Sacerdotibus, & Clericis prima Tonsura insignitis.

Hinc 1. Rom. Pontifex dispensare potest in omnibus votis omnium fidelium. 2. Episcopi, & alii Episcopalem jurisdictionem habentes, in votis subditorum dispensare possunt, iis exceptis, quae sunt Papae reservata.

Q. III. *Quaenam sint vota Papae reservata?*

R. Praeter sollemnia, sunt quinque, videlicet votum perpetuae castitatis, Religionis, ac triplicis peregrinationis, nimirum, ad limina Apostolorum, ad S. Jacobum Compostellanum, ad Terram Sanctam.

Q. IV. *Num valeant Episcopi aliquando in votis reservatis dispensare?*

R. Affir. Urgente nimirum gravi necessitate, & cum difficiliter adiri potest Romana Sedes. E. G. Imminet periculum scandali, nisi hîc & nunc contrahatur matrimonium a voto castitatis adstricto, tunc potest Episcopus dispensare.

Q. V. *An haec votorum reservatio late, vel stricte interpretanda sit?*

R. Stricte est interpretanda, cum sit odii plena, & ordinariae potestati Episcoporum contraria. Theologi communiter. Quapropter ut dicta vota sint reservata,

de-

debent esse *absoluta*, *certa*, & *perfecta*.

Hinc Papae non reservantur 1. votum castitatis ad tempus. 2. Votum non petendi debitum a conjuge. 3. Votum non nubendi, quod reipsa discrepat a voto perpetuae castitatis. Unde illud violat qui nubit, non vero qui fornicatur. Excipe, nisi vovens abstinentiam a nuptiis, intenderit castitatem perpetuam vovere: hìc enim praecipue ponderanda est voventis intentio. 4. Votum mulieres non tangendi. 5. Votum sacros Ordines suscipiendi, quod oblique tantum castitatem includit. 6. Votum ingrediendi Religionem strictiorem; quod qui emisit, dispensari potest ab Episcopo, non quidem simpliciter, sed ut ingrediatur mitiorem; cum hoc non sit dispensare in voto Religionis, sed in modo, & qualitate illius.

Item vota conditionalia, antequam impleatur conditio, ab Episcopo dispensari possunt: secus, si conditio sit adimpleta, quia evadunt absoluta. Hinc vovisti Religionem sub hac conditione, si incolumis evasero, impleta conditione reservatum est: secus ante.

De voto poenali, puta si lusero, voveo castitatem, non est reservatum, cum non oriatur ex amore virtutis, seu castitatis, sed ex formidine poenae. Probabilius negant alii, si jam commissa sit culpa, in cujus poenam votum fuit emissum.

Nec valet ratio, quod hujusmodi vota non oriantur ex amore virtutis. Si enim castitas voventi non placuisset, eam non vovisset.

§. VII.
De Voti Commutatione.

Q. I. *Quid sit Voti Commutatio?*

R. Est commutatio unius materiae pro altera, sub eadem obligatione voti.

Q. II. *Num differat commutatio ab irritatione, & dispensatione Voti?*

R. Affir. Irritatio enim est actus potestatis dominativae auferentis omnem obligationem, nullà etiam occurrente caussâ. Dispensatio est actus jurisdictionis, qui stante rationabili caussa, tollit omnem voti obligationem. Commutatio vero non aufert voti vinculum, sed vinculo voti occurrente, alteram substituit materiam, quae in prioris locum succedat.

Q. III. *Quinam valeant vota commutare?*

R. Commutatio fieri potest vel in bonum certo melius, vel in minus, vel in aequale.

Si primum, quis potest propria auctoritate suum votum commutare; quia ex jure promissa non infringit, qui illud in melius commutat. Ita recentiores Moralistae.

Si

Si secundum, & tertium, requiritur facultas spiritualis jurisdictionis.

Nota. Qui habent in votis dispensandi facultatem, valent etiam ea commutare; licet non e converso.

C A P. II.

De Juramento.

Q. I. QUid *sit Juramentum?*

R. Est Dei invocatio in testem dicti, vel facti. *Quid est jurare per Deum, nisi testis est Deus?* ait *Augustinus serm.* 28. *de Verb. Apost.*

Dicitur 1. *Dei invocatio*. Haec autem vel *expressa* est, cum Deus in seipso invocatur. E. G. *Testis est mihi Deus: Juro per Deum &c.* Vel *tacita*, cum nobilior aliqua creatura invocatur, specialem habens relationem ad Deum, cujus potentia, bonitas &c. in ea maxime splendet. E. G. *Juro per caelum, terram &c.* quia sic jurans censetur earum auctorem in testem adducere.

Dicitur 2. *in testem dicti, vel facti*. Quia Juramenti finis est, ut confirmentur ea, quae enunciantur, vel promittuntur.

Hinc Juramentum differt ab oratione, quia per hanc divinum petimus auxilium;

per illud vero postulamus, ut veritas manifestetur, quando Deo placuerit, in vita vel in morte, in hoc vel in futuro statu.

Q. II. *Quaenam requirantur ad Juramenti emissionem?*

R. *Intentio*, seu voluntas jurandi, & *actus externus*, quo divinum invocatur testimonium.

Prob. 1. pars. Juramentum humana est actio, quae obligationem inducit verum dicendi. Atqui actio humana, quae obligationem parit, necessario requirit voluntatis consensum: consensus enim non datur ab eo, qui positive non vult eum dare. Ergo &c.

Prob. 2. pars. Juramento utimur ad nostras assertiones inter homines confirmandas. Ergo aliquo externo actu Juramentum manifestetur necesse est.

Quid si intra animum tuum jures te aliquid facturum?

R. Ad id praestandum ex virtute Religionis in foro tantum interno adstringeris: sed ut inter homines obligeris, signo aliquo externo Juramentum enunciare debes.

Q. III. *Quid sit Adjuratio?*

R. *Est obtestatio divini Nominis, seu rei sacrae, qua quis urgetur vel imperio, vel obsecratione ad aliquid faciendum, vel omittendum.* D. *Thomas* 2.2. *q.* 90. *art.*1. In Juramento Deum adducimus ad confirman-

mandam veritatem. In Adjuratione Deum contestamur, ut illius amore, aut timore quispiam moveatur ad id quod petimus, praestandum.

Hinc adjuratio alia est deprecativa, alia imperativa. Adjuratio licita est, modo fiat in veritate, judicio, & justitia, ut infra dicemus cum proportione de Juramento.

Q. IV. *An liceat jurare sine animo jurandi?*

R. Neg. Quia hujusmodi fictio sacrilegum continet mendacium. Nam qui dicit, *juro*, & reipsa animo interno non vult jurare, mentitur. Atqui mendacium nunquam est licitum. Ergo &c.

Dixi, *sacrilegum mendacium*: quia conjungitur cum abusu divini nominis. Merito ergo inter damnatas propositiones ab *Innocentio XI.* num. 25. haec recensetur: *Cum caussa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.*

Hinc qui jurat sine animo jurandi, sive verum juret sive falsum, sive in re gravi sive in re levi, gravem injuriam divinae infert Veritati. Quia gravitas malitiae in abusu juramenti non tam desumitur a gravitate materiae super quam juramentum cadit, quam ab infinita dignitate illius nominis, quod in testem adducitur.

Q. V. *An qui serio & deliberate Deum invocat in confirmationem veritatis, ore scilicet dicens*, per Deum ita est; *interius vero & in corde suo*, nolo jurare, *verum proferat Juramentum?*

R. Affir. Nam hujusmodi invocatio verum est Juramentum, eo quod a deliberata voluntate procedat. Interna illa voluntas non jurandi, est velleitas quaedam, quae superatur ab efficaci voluntate serio & deliberate verum juramentum proferendi. Lege, si lubet, *Concinam*.

Q. VI. *Quaenam sint jurandi formulae?*

R. Plurimae sunt; quia verba, quibus Juramentum profertur, non sunt determinata.

Hinc I. sunt quaedam formulae, quae Juramentum diserte continent. Ut sequentes, *Juro per Deum, mihi Deus testis est, vivit Deus, testem invoco Deum vivum*. Nec tamen necesse est, ut usurpetur verbum *juro*; sed satis est confirmare propria dicta *per Deum, per fidem Dei, per fidem Christi*.

II. Ambiguae vero sunt sequentes: *Scit Deus, coram Deo loquor, Deus videt ita esse*. Quae si *enunciative* proferantur, Juramenta non erunt; secus, si *invocative* pronuncientur: ut constat ex Apostolo *ad Gal. I.* jurante illis verbis: *Quae autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non men-*

mentior. In hisce formulis circumstantiae attendendae sunt, ac potissimum loquentis intentio.

III. Sequentes formulae secundum communem existimationem Juramenta esse non censentur. *In rei veritate, profecto, in veritate, per fidem meam, in fide mea, in fide boni viri, in mea conscientia &c.*

Juramenta pariter non esse affirmant communiter Auctores, quae sequuntur: *Per fidem Christiani, Religiosi, Sacerdotis.* Quia, inquiunt, in hisce expressionibus fides divina non commendatur, sed humana; efficiuntque hunc sensum: *Ea veritate loquor, qua Christianus, Sacerdos loqui debet.* In praxi tamen semper intentio loquentis, & circumstantiae consulendae sunt. Insuper ab hujusmodi formulis poenitentes abstinere jubeant Confessarii, quae dubium relinquunt, & scandalum generant.

Horrendae vero hae voces, quibus nimium utuntur praesertim plebei, *per caput, per ventrem Dei*, sunt potius blasphemiae, quam juramenta. Quia videntur ea Deo tribuere, quae Deo non conveniunt.

Q. VII. *Quomodo dividatur Juramentum?*

R. Multifarie dividitur, & I. quidem ex parte jurantis, in *invocatorium*, & *imprecatorium*.

Juramentum *invocatorium*, quod et-

 iam

iam dicitur *contestatorium*, est illud, quo Deus invocatur tanquam testis. Ut cum simpliciter dicitur, *Juro per Deum ita esse.*

Imprecatorium, quod etiam dicitur *exsecratorium*, est illud, quo Deus invocatur non solum ut infallibilis testis veritatis, sed etiam ut vindex falsitatis. Ut si dicatur, *Sic Deus me puniat.*

II. Ex parte vero rei juratae dispescitur in *assertorium*, & *promissorium*.

Assertorium est illud, quo affirmatur, vel negatur aliquid praesens, vel praeteritum. Ut si dicatur, *Juro hoc ita esse aut fuisse, vel non.*

Promissorium, ad quod deducitur etiam *comminatorium*, est illud, quo affirmatur, vel negatur aliquid futurum. Ut si dicatur, *Juro hoc me esse facturum.*

III. Ex parte tandem formae Juramentum dividitur in *simplex*, & *sollemne*.

Simplex est illud, quod fit a privato homine, & verbis illis, quae sibi magis placent.

Sollemne est illud, quod fit sollemni ritu, & forma, vi juris aut consuetudinis praescripta.

Sollemne item dividitur in *verbale*, *reale*, & *mixtum*. Primum solis verbis fit, & in ipsis verbis certa quaedam forma servatur. Alterum fit actione aliqua corporali, ut contactu Evangeliorum, Crucis, Altaris, Sceptri, erectione digitorum.

Con-

Consule *l.* Generaliter §. *ult. C. de Reb. Creden.* Tertium vero fit verbis simul, & signis.

Q. VIII. *Num recensitae Juramenti divisiones sint ejusdem, an diversae speciei?*

R. Ejusdem speciei esse, communiter tradunt Doctores, cum haec juramenta conveniant in formali ratione Deum in testem invocandi. Verum pejerantium peccatum potest aliud alio gravius esse ratione circumstantiarum. Ut si cum majore deliberatione, vel sollemnitate Juramentum factum fuerit, ejus violatio majore malitia inficietur. Vide *D. Thomam* 2. 2. *q.* 98. *art.* 3. *ad* 2.

Q. IX. *An Juramentum sit licitum?*

R. Affir. Id enim evincit 1. divinum de jurejurando Mandatum: *Dominum Deum tuum timebis, & illi soli servies, ac per nomen ejus jurabis. Deut. VI.* 2. Sanctorum exempla: *Paullus ad Rom. XI.* Deum in testem vocavit his verbis: *Testis enim mihi est Deus.* 3. Ratio: Juramentum enim est actus latriae cultus, quo Deum ut summam veritatem agnoscimus. Conferendus est hîc *D. Thomas* 2. 2. *q.* 89. *art.* 2.

Q. X. *Quî ergo Christus* Matth. V. *absolute juramentum prohibeat his verbis:* Ego autem dico vobis non jurare omnino?

R. Christi prohibitionem intelligendam esse de juramento, quod praestatur

ſine debitis conditionibus. Videſis *Auguſtinum de ſerm. Dom. in mont. lib.I. cap.17. & lib. de Mend. cap. 15.* & *D. Thomam* loc. cit. Item Patres improbant facilem jurandi uſum; neutiquam vero negant neceſſarium.

Q. XI. *Quaenam conditiones requirantur ad licite jurandum?*

R. Tres, *Veritas*, *Judicium*, & *Juſtitia*. Has veluti juramenti comites exprimit *Jeremias Propheta cap. IV.* inquiens: *Jurabis, vivit Dominus in veritate, & judicio, & juſtitia.*

Veritas exigit, ut jurans exiſtimet rem certo ſic ſe habere, ſicuti jurat.

Judicium, ut non juret niſi ex rationabili cauſſa, ne Dei nomen aſſumatur in vanum.

Juſtitia, ut juramentum nulli noceat, ſitque de re licita, & honeſta. His comitibus deficientibus, Juramentum ſine veritate erit *mendax*, ſine judicio *incautum*, ſine juſtitia *iniquum*. *D. Thomas 2. 2. q. 89. art. 3.*

Q. XII. *Num Juramentum ſit ſemper illicitum, quando in eo deficiat una ex recenſitis conditionibus?*

R. Affir. Ratio patet ex dictis.

Q. XIII. *Num ſit ſemper grave peccatum?*

R. Cum diſt. I. In Juramento aſſertorio defectus veritatis eſt ſemper grave pecca-

catum. Ratio eſt, quia graviſſima injuria Deo irrogatur, eum adducendo in teſtem falſitatis. Qui enim Deum in teſtem falſitatis invocat, tacite teſtatur Deum fallere, aut falli poſſe. Quare omne perjurium etiam in materia levi eſt peccatum mortale. *D. Thomas q.* cit. *art.* 3. *ad* 2.

Hinc qui jurat verum, credendo eſſe falſum, vel jurat dubium tanquam certum, aut certum tanquam dubium, etſi mendacium, quod juramento confirmat, ſit leve, & jocoſum, ſemper tamen peccat graviter; cum veritas deficiat in juramento. Merito igitur damnata fuit ſequens propoſitio num. 24. ab *Innocentio XI. Vocare Deum in teſtem mendacii levis, non eſt tanta irreverentia, propter quam velit, aut poſſit damnare hominem.* Quia gravitas malitiae in abuſu juramenti non ſumitur a gravitate rei, ſuper quam juramentum cadit; ſed ab infinita dignitate illius nominis, quod in teſtem adducitur.

Quid ſi deficiat veritas in Juramento promiſſorio?

Nota. Juramentum promiſſorium duplici conſtat veritate: una de praeſenti, quae ſita eſt in animo promittendi & implendi rem promiſſam. Altera in exſecutione rei promiſſae conſiſtit.

R. I. Si praeſens deficiat veritas, eſt grave perjurium. Ita omnes. Quia in hoc juramentum promiſſorium ab aſſertorio non differt. Hinc

Hinc jurans graviter peccat, si animum non habeat praestandi quod jurat; vel credit, aut dubitat se non posse illud praestare, etiamsi res parva sit; cum in juramento praesens veritas deficiat.

R. II. Si vero deficiat veritas futura (scilicet qui juratus spondet aliquid, quod postea mutata voluntate adimplere nolit) grave similiter peccatum dicendum est, si tamen materia gravis sit: si vero materia sit levis, acriter disputatur inter Theologos. At nobis probabilius videtur id quoque esse grave peccatum. Ratio est, quia sic jurans, perjurii reus est, Deum in falsitatis testem adducendo. Ita aperte sentire videtur *Augustinus epist.* 12. alias 52. inquiens: *Exspectationem autem eorum, quibus juratur, quisquis acceperit, non potest non esse perjurus.* Rationem reddit *D. Thomas* cit. *q. art.* 7. ubi ita philosophatur: *Sicut autem Juramentum assertorium, quod est de praeterito, vel de praesenti, debet habere veritatem; ita etiam & Juramentum de his, quae sunt fienda a nobis in futurum.* Inde subdit Angelicus, veritatem huic juramento deesse, quoties jurans rem promissam suo tempore non adimpleat. *Tenetur enim aliquis, ut faciat verum esse id quod juravit: alioquin DEEST VERITAS in juramento.*

Verum non statim mortalis culpae damnandae sunt matres, quae juratae pueris

ris pomum spondent, aut rem levem, quam postea non exhibent: nec viri ingenui, qui, hortante modestia, jurati negant se praegressuros socios, ut eos honore afficiant, & nihilominus quandoque praegrediuntur. Nam ejusmodi locutiones aut vera juramenta non sunt ex defectu sufficientis deliberationis, aut veram excipiunt interpretationem.

II. Si in Juramento deficiat judicium, non est nisi veniale peccatum; modo absit pejerandi periculum. Ratio est, quia hujusmodi defectus prudentiae opponitur. Quare irreverentia non videtur de se gravis, nisi ex periculo pejerandi.

Hinc qui jurat cum veritate & justitia, sed sine ulla necessitate vel utilitate, peccat leviter; quia in juramento solum deficit judicium. Contra graviter peccat, si ex nimia proclivitate, tanquam ex consuetudine non possit advertere ad juramenti veritatem & justitiam; cum subsit periculum pejerandi.

III. Defectus justitiae in juramento promissorio. E. G. Qui jurat se rem malam esse facturum, etiamsi res sit venialiter mala, grave committit peccatum. Quia adducere Deum in confirmationem iniquitatis, est gravissimam injuriam Deo irrogare.

Dixi, *etiamsi res sit venialiter mala*. Quid enim Deo injuriosius, quam illius au-

auctoritatem inducere, ut approbetur iniquitas, quamvis minima?

Hinc qui jurat se fornicaturum, duplex committit peccatum; unum fornicationis, alterum contra justitiam Juramenti. Item qui jurat, se aliquod leve mendacium dicturum, graviter peccat; quia non levis irreverentia est vocare Deum in testem ac fidejussorem peccati, quamvis levis.

Q.XIV. *An liceat exigere Juramentum ab eo, qui praevidetur pejeraturus?*

R. Non licet personae privatae, ut recte docent *S. Augustinus serm.*28. & *D. Thomas* 2.2. *q.*98. *art.* 4. Ratio est, quia finis praecipuus ac ferme unicus Juramenti est confirmatio veritatis. Atqui in perjurio veritas pervertitur. Ergo si desit juramenti finis in perjurio, iniqua erit illius petitio.

Dixi, *personae privatae*. Nam id licet judici ad instantiam partis; quia id postulat ordo juris, & officium judicis, qui procedere debet non secundum scientiam privatam, sed secundum publicam, ad quam requiritur ut adhibeantur ea, quibus solet elici veritas, quale est Juramentum.

Q. XV. *An liceat Christiano petere Juramentum, justa currente caussa, ab eo, quem scit juraturum per falsos Deos?*

R.Affir. Ita *S.Augustinus*, & *D.Thomas*,

mas, & cum his Theologi omnes. Ratio est, quia quando Christianus ab ethnico petit ut juret, rem licitam petit; quod vero ethnicus non per verum Deum, sicuti posset, sed per falsos juret, hoc ex sua malitia provenit. Verum adverte cum Angelico *q.* cit. & *art. ad* 4. quod etsi liceat justa currente caussa petere juramentum ab eo, quem praevides juraturum per falsos Deos; nunquam tamen licet ad hoc eum inducere, cum nunquam liceat ad malum aliquem inducere.

Q. XVI. *Quandonam non obliget Juramentum promissorium?*

R. Non obligat in sequentibus casibus.

I. Quando est de re illicita, vel impossibili; quia *juramentum non est vinculum iniquitatis*, ex *cap.*18.*de Jurejur.*& ex *Regula Juris*, *Impossibilium nulla est obligatio*.

II. Quando est de indifferenti, idest quae neque ex se, neque ex fine, aut circumstantiis ad Dei obsequium, aut hominis utilitatem conducit.

III. Cum est de re, cujus oppositum est melius: quod quidem non obligat, nisi forte sit factum in favorem alterius. Tantum vero potest obligare per modum voti, cum solum Deum respiciat. Atqui votum de re, cujus oppositum est melius, non obligat. Ergo &c.

Di-

Q. XVII. *Quomodo cesset obligatio Juramenti promissorii?*

R. Cessat I. per remissionem illius, in cujus favorem fuit praestitum; quia subtrahit materiam juramenti.

II. Per irritationem.

III. Per commutationem.

IV. Per dispensationem. Quae omnia patent ex dictis *in Tract. de Voto*. Juramentum enim eodem modo, & ab eisdem irritatur, commutatur, in eoque dispensatur, cum hac sola exceptione, quod non possit dispensari in juramento praestito in favorem alicujus, & ab eo acceptato; nisi bonum commune id exigat, vel nisi promissarius per injuriam, nempe per vim vel metum gravem extorserit.

APPENDIX

De Mendacio.

Q. I. QUid sit Mendacium?

R. *Mentis, & orationis discordia cum intentione fallendi:* sive locutio oris menti loquentis difformis, ex voluntate fallendi prolata.

I. *Orationis* autem nomine hîc intelligitur *verbum scripturâ, signis, nutibus, aut voce expressum. D. Thomas* 2. 2. *q.* 110. *art.* 2. *ad* 2. & *q.* 111. *art.* 1. *in c.*

II. *Mentis* vero nomine venit ejusdem con-

conceptus, sive quod cogitatur, quod sentit animus, a cujus sententia oratio discordat ac dissentit. *Ille mentitur*, ait *Augustinus lib. de Mend. cap.* 3. *qui aliud habet in animo, & aliud verbis, vel quibuslibet significationibus enunciat.*

III. *Cum intentione fallendi.* Has ultimas particulas ita explicat idem *Augustinus Enchir. cap.* 22. *Omnis qui mentitur contra id quod animo sentit, loquitur voluntate fallendi.*

Ex dictis sequitur, ad naturam Mendacii requiri significationis falsitatem, & hoc est proprie loqui contra mentem: Intentionem vero, sive cupiditatem fallendi pertinere ad mendacii complementum: sive effectum falsae enunciationis esse, ut aliquis fallatur. *D. Thomas art.* cit.

Hinc non mentitur qui dicit rem falsam, quam veram existimat; sed qui dicit rem veram quidem, sed quam falsam putat, mentitur. *Ream linguam non facit, nisi rea mens; & nemo mentiens judicandus est, qui dicit falsum, quod putat verum, quia quantum in ipso est, non fallit ipse, sed fallitur.* Sunt haec *Augustini de verbis Apostoli serm.* 22. & *Enchirid. cap.* 22. relata a *Gratiano in Caus.*22. *q.*1.

Q. II. *Quotuplex sit Mendacium?*

R. Triplex, *Jocosum* scilicet, *officiosum*, & *perniciosum*.

Jocosum Mendacium est, quod in alio-

liorum, aut proprium oblectamentum dicitur. *Officiosum* est, quod profertur aut ad propriam, aut ad alienam utilitatem. *Perniciosum* est, quod profertur in damnum alterius.

Q. III. *An Mendacium sit peccatum?*

R. Affir. Ita omnes tum Philosophi, tum Theologi. Philosophi etiam Ethnici Mendacia damnarunt, utpote naturali hominum societati adversa. Christiani vero apertis sacrarum Scripturarum testimoniis semper Mendacia detestati sunt; ut praesertim videri potest in impugnatione Priscillianistarum, qui mendacio, & perjurio haeresim suam occultabant.

Q. IV. *An omne Mendacium sit peccatum mortale?*

R. Cum dist. Mendacium perniciosum ex genere suo est peccatum mortale; fieri veniale potest vel ob imperfectam deliberationem, vel ob materiae levitatem, quia mendacium dilectioni Dei, & proximi adversatur. Adversatur quoque fidei, & religioni, si sit in materia morum; justitiae vero, si proximo falsum crimen imponatur, aut mendacio illius bona auferre quis conetur. At si Mendacium sit jocosum, aut officiosum, per se non est peccatum mortale. Ratio est, quia neutrum ex his mendaciis per se caritati opponitur; cum nullum inferat proximo nocumentum, sed e contrario utilitatem, aut oblectationem.

Duo

Duo sunt Mendaciorum genera, in quibus non est magna culpa, sed tamen non sunt sine culpa; cum aut jocamur, aut proximo consulendo mentimur. Ita *Augustinus* in eum versiculum: *Perdes omnes, qui loquuntur Mendacium.* Conferendus est hîc etiam *D. Thomas 2. 2. q. 110. art. 4.*

Q. V. *Num urgente necessitate evitandi aliquod gravissimum malum, ut hominum mortem, Mendacium sit licitum?*

R. Neg. Quia Mendacium est suapte nātura malum, nempe ex genere malorum, in quibus locum habet, non esse faciendum malum, ut eveniat bonum. Sed de hoc fusius infra.

Nota. Acriter disputatum fuit inter Antiquos, num vitio careret Mendacium vel propriae salutis, vel alienae utilitatis caussâ dictum. Pro affirmante sententia aperte stant *Socrates*, ejusque discipuli *Plato*, *Xenophon*, & alicubi *Cicero*, qui pro *Q. Ligario* aliquod *Mendacium honestum*, & *misericors* vocat. Et, si *Plutarcho*, & *Quintiliano* credimus, Stoici inter sapientis dotes ponunt mentiri, ubi, & quomodo oportet. Nec dissentire videtur aliquot in locis *Aristoteles*, qui licet *Nic.* VII. dicat: *Per se Mendacium turpe atque vituperabile, veritas pulcra ac laudabilis;* attamen illud *per se* exponi potest *communiter*, *plerumque*, *ut plurimum* &c. ut advertit *Grotius de J.B. & P. lib.III. cap.* 1.

A pa-

A paganis Philoſophis non diſſentire videntur nonnulli ex antiquis Eccleſiae Doctoribus, praeſertim Graecis, inter quos praecipui ſunt *Clemens Alexandrinus*, & *Origenes*, qui docet Mendacium interdum hominibus utile, eoque tanquam condimento, & medicamine utendum, apud *Hieronymum lib. I. adverſus Rufinum*. His adhaeſiſſe videntur *Chryſoſtomus*, & *Hilarius*. Primus de Mendacio *Rahab* loquens, illud vocat *pulcrum Mendacium*, *pulcrum dolum*, *divina non prodentem*, *ſed pietatem cuſtodientem*. Alter in ſuis Commentariis in Pſalmum XIV. docet, Mendacium plerumque *neceſſarium*, & *utile*. Praeterea *Joannes Caſſianus*, qui prae ceteris ſuis anteceſſoribus ardentius Mendacii patrocinium propugnavit, vocat illud *Collat. XVII. Cap. 17. perfugium*, quo in neceſſitate uti poſſumus, ſicut in exitiali morbo utimur helleboro. *Joannes Climacus*, aliique. His omnibus accenſendus eſt & *Hieronymus* ipſe, teſte *Auguſtino Epiſt. 7.*

Pro negativa ſententia ſtat *Auguſtinus*, qui duobus libris *de Mendacio*, & *contra Mendacium*, omnia Mendacia illicita eſſe propugnavit. *Auguſtino* adhaeſerunt Occidentales omnes; ita ut nemo ex Theologis aperta fronte audeat nunc Mendacio favere.

Verum Recentiores quidam laxius quam Antiqui, docuerunt ad occultandam verita-

tatem non solum in extrema & gravi necessitate, verum etiam quandocunque homini libuerit, uti posse aequivocatione, restrictione mentali, locutione materiali: quod perinde est, ac si dicatur omnia Mendacia esse licita, excepto Mendacio pernicioso. Pro more penes istos variantur nomina, non vero doctrinae.

Tandem Naturalistae Mendacium distinguunt a falsiloquio; illud nunquam, hoc ex caussa licitum esse pronuntiantes.

Hujusmodi autem Recentiorum ad veritatem occultandam subterfugia, an licita sint saltem ex caussa, antiqua quaestio reviviscit, *num liceat aliquando ex justa caussa mentiri*. Quaestionis hujus definitio pendet ex eo, num Mendacium suapte natura sit malum, sive in genere malorum, in quibus locum habet non esse faciendum malum, ut eveniat bonum; an vero ex iis, quae vitium non habent universaliter & suapte natura, sed quibus accidere etiam potest, ut bona sint. Brevius cum Scholasticis, an Mendacium sit intrinsece malum, ita ut nullà circumstantià cohonestari possit.

Propositio.

Ajo cum Augustino, Mendacium esse suapte natura malum, ideoque omnino illicitum.

Prob. I. ex luculentis Scripturae oraculis, quibus generatim omne Mendacium da-

damnatur. *Proverb.* XIII. 5. *Verbum mendax justus detestabitur:* utique, quia malum est. *Eccles.* VII. 14. *Noli velle mentiri omne mendacium*. Nullum excipitur, quia nullâ circumstantiâ mendacium cohonestari potest. *Ad Ephes.* IV. 25. *Deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo;* cum contrarium sit justitiae, & verae sanctitati novi hominis. I. *Joan.* II. 21. *Omne mendacium ex veritate non est*. Quod veritati est difforme, semper mala est. *Joan.* VIII. 44. Diabolus auctor & inventor mendacii dicitur. Ergo nunquam Mendacium honestum esse potest.

Prob. II. Ratione. 1. Quia Mendacium divinae veritati repugnat. Quod primae veritati repugnat, suapte natura malum est, utpote perfectissimae regulae difforme. Ergo &c. 2. Ordinis perversio a Deo praescripti in ordine morali utique per se malum est. Atqui in Mendacio humani sermonis ordo pervertitur. Nam *verba sunt instituta, non per quae se homines invicem fallant, sed per quae in alterius quisque notitiam cogitationes suas perferat. Verbis ergo uti ad fallaciam, non ad quod instituta sunt, peccatum est. Augustinus Enchir. cap.* 22.

Augustino pro more succinit *D. Thomas* 2. 2. *q.* 110. *art.* 2. his verbis: *Mendacium est malum ex genere; est enim a-*

ctus cadens super indebitam materiam. Cum enim voces naturaliter sint signa intellectuum, innaturale est, & indebitum, quod aliquis voce significet id, quod non habet in mente. Illustratur exemplo haec *Augustini* & *Thomae* doctrina. Homo a natura comedendi facultate est praeditus ad proprii individui conservationem. Peccat ergo qui ob solam voluptatem comedit, quia ordinem naturae pervertit. Ergo a pari homo loquendi facultate potitur ad suos conceptus manifestandos. Ergo si homo loqui velit, juxta naturae leges verbis utatur necesse est, nempe ad mentis revelationem.

Ex dictis sequitur, nullum Mendacium esse licitum quacunque ex caussa, etiam ad salvandam vitam; imo etiam ad alienam aeternam salutem procurandam: quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona. Quare concludit *Augustinus cap.* 20. *de Mendacio*, sicut non licet stupro alienam salutem procurare, ita nec mendacio: quia sicut stuprum est contrarium castitati, ita mendacium est contrarium veritati.

Mendaciorum Patroni nos provocant ad exempla Sanctorum, qui in Scripturis sine reprehensionis nota mentiri fuisse dicuntur. *Gen. XII. XX.* & *XXVII.* Item *Judith* commendatur, quae tamen Holoferni mentita est. Adde Aegyptias Obstetrices *Exodi I.* quae a Deo remuneratae fue-

fuerunt propter mendacium. In Evangelio quoque non desunt facta & verba Christi Domini, quae illorum sententiae favere videntur. *Joan. VII. 8. Matth. XXIV. Marc. XIII.* 31. & *Luc. XXIV.* 28.

Ad haec breviter respondemus cum *Augustino lib. contra Mend. cap.* 15. plurima in sacra Scriptura haberi, quae mendacia absolute videntur; attamen mendacia non sunt, sed mysteria; aut si mendacia, imitanda minime sunt. Quod si aliqui eorum occasione mendacii a Deo remunerati dicuntur, hujusmodi beneficium non pro mendacio, sed pro timore Dei, & benevolentia, ex qua mendacium processit, obtinuerunt. Quare *Augustinus* loquens de obstetricibus Aegyptiacis, asserit *lib. contra Mend. cap.* 15. in illis remuneratam esse *benignitatem mentis, non iniquitatem mentientis*. Ad facta & verba Christi Domini, *quae imperitioribus mendacia videntur, figuratas esse significationes*, advertit idem S. Doctor praesertim in laud. libro *contra Mendacium*. De singulis vero difficultatibus, quae ex sacra Scriptura in favorem mendacii producuntur, consulendi sunt *Augustinus* loc. cit. & *D. Thomas* 2. 2. *q.* 110. *art.* 3.

Porro duo hic sunt adnotanda, 1. Scripturae loca, quae pro tuendis mentis restrictionibus a Recentioribus obtruduntur, eadem esse, quae *Cassianus* praesertim *Col-*

lat. XVII. cap. 17. 19. 20. & 21. pro tuendis Mendaciis adducit. 2. *Licere veritatem occultare prudenter ſub aliqua diſſimulatione*, ut *Auguſtinus* dicit *in lib. de Mend. cap.* 10. *D.Thomas* 2. 2. *q.*110. *art.* 3. *ad* 4.

Q. VI. *Quaenam ſint media, quibus veritas in magni momenti rebus occultetur, ſi urgeat juſtitia, Religio, aut caritas?*

R. Tria ex *Auguſtino*; nempe 1. *Silentium*: 2. *Aperta ſignificatio non valentis prodere veritatem*. 3. *Virtus fortitudinis non mentiendi, & non manifeſtandi veritatem uſque ad vitae ſacrificium*. *Auguſtinus lib. contra Mend. cap.* 10. Ceterum in adjuvandis proximis haec *Auguſtini* regula tenenda eſt cit. lib. *cap.* 17. *Faciat ergo homo etiam pro temporali hominum ſalute quod poteſt. Cum autem ad hunc articulum ventum fuerit, ut tali ſaluti conſulere, niſi peccando, non poſſit, jam ſe exiſtimet non habere quod faciat, quando id reliquum eſſe perſpexerit, quod non recte faciat*. Huc uſque magnus *Auguſtinus* ſuo prope divino ingenio. Recentiores vero limites ab *Auguſtino* poſitos infelici audacia ſuſtulerunt.

Q. VII. *Quaenam ſint Recentiorum ſubterfugia, ut veritas abſque mendacio occultetur?*

R. Sequentes. I. Locutio amphibologica ſeu aequivoca. II. Reſtrictio ſeu reſervatio mentalis. III. Uſus ſcientiae commu-

municabilis & incommunicabilis. IV. Locutio materialis. V. Tandem Falſiloquium.

Locutio amphibologica ea eſt, quae varios patitur ſenſus, & quam proferens praevidet ab audiente accipiendam in alio ſenſu, atque ipſe intelligit. E. G. Si quis interroganti de aliquo facto reſpondeat: *In hoc puncto non habeo quid dicam*: intelligendo de puncto temporis, quod tamen ab altero accipiatur de puncto materiae: vox *punctum* utrumque ſignificare poteſt, & tempus, & materiam.

Reſtrictio mentalis eſt locutio, quae profertur aliud intelligendo in mente, quam verba ſignificent. E. G. Si quis interrogatus an viderit Petrum, reſpondeat ſe eum non vidiſſe, ſubintelligendo non vidiſſe in agro.

Reſtrictio mentalis a Recentioribus diſtinguitur in pure mentalem, & mixte mentalem. Illa nullo modo ab aliis percipi poteſt, cum intra mentem ſiſtat: Haec ex adjunctis circumſtantiis innnoteſcere poteſt.

Uſus ſcientiae communicabilis & incommunicabilis habetur, quando ex circumſtantiis apparet, verba ſumenda eſſe ſpectatâ tantum ſcientiâ loquentis communicabili: quia loquens duplicem gerit perſonam, ut dicunt de Confeſſario.

Locutio materialis habetur, quando a loquente verba proferuntur omni ſignificatione ſpoliata. E. G. Num habeas pecu-

niam mihi mutuandam, interrogatus rotunde respondeat, *non*, subintelligendo *dico verbum non*.

Falsiloquium est sermo cum cogitatione animi non conveniens, quo quis utitur adversus illum, cui nec jus perfectum, nec imperfectum est veritatem exigendi. E.G. Si quis curiose sciscitanti, quantum quis pecuniae habeat, respondeat, se tam accurate non scire, falsum loquitur, nec tamen ideo mendax est; cum alter nec perfectum nec imperfectum jus habeat id ex illo sciscitandi. Contra si quis Magistratui censum acturo ita respondeat, mendax erit. Ita se explicat *Pufendorfius lib. I. cap.* 10. *de Offic. Hom. & Civ.* Differentia ergo mendacium inter, & falsiloquium est, quod illud semper cum laesione juris alterius conjungitur: hoc vero minime; quin ad propriam, vel alterius utilitatem profertur.

At Recentiores post damnatas ab *Innocentio XI.* propositiones infra exscribendas, ad defendendas se restringunt licitas etiam cum juramento, si justa adsit caussa, restrictiones non pure mentales, nempe illas, quae ex circumstantiis percipi possunt.. Nos vero cum *Augustino*, qui has veritatis occultandae vias non agnovit

Asserimus, haec Juniorum inventa, vera esse Mendacia.

Prob.

Prob. Hujusmodi locutiones a mente discrepant, & animo fallendi proferuntur. Ergo sunt vera Mendacia. Adde, voces omnes duplicem admittere significationem, materialem, & formalem, ut advertit *Grotius de J. B. & P. lib. III. cap.* 1. §. 17. *num.* 4. Quare in omni sermone periculum est, ne alius reservatione, ambiguitate me illudat; & quo quis est ingeniosior, eo facilius erit improbus ad fallendum.

De Falsiloquio idem dicendum: nam licet aliquando proximus jus non habeat veritatem exigendi; ex hoc tamen sequitur, me non esse obligatum ad illam prodendam: sed si loqui velim, non possum a veritate discedere. Qui ergo falsiloquium dicit, jus non laedit veritatem exigendi, sed ordinem naturae pervertit, utendo verbis contra finem ad quem sunt instituta: ideoque a prima veritatis regula discordat.

Accipe propositiones de Restrictione mentali ab *Innocentio* XI. damnatas. *Si quis vel solus, vel coram aliis sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis caussa, sive quocunque alio fine juret, se non fecisse aliquid quod revera fecit; intelligendo intra se aliquid aliud quod non fecit, vel aliam viam ab ea in qua fuit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus.* num. 26.

Caussa justa utendi his amphibologiis

est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet virtutis actum; ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens & studiosa. num. 27.

Qui mediante commendatione, vel munere ad magistratum, vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali praestare juramentum, quod de mandato Regis exigi solet, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum. num. 28.

Ex dictis collige Juramenta, quibus confirmantur restrictiones seu amphibologicae locutiones plurium Recentiorum, gravissima esse perjuria. Patres enim absolute damnant omnia Juramenta dolosa, seu verbis fallacibus & aequivocis prolata. *Illud sane certissime dici non ambigo, non secundum verba jurantis, sed secundum exspectationem ejus, cui juratur, quam novit ille, qui jurat fidem jurationis impleri . . . . Unde perjuri sunt, qui, servatis verbis, exspectationem eorum, quibus juratum est, deceperunt. S. Augustinus epist.* 125. *ad Alipium*.

Quacunque arte verborum quisquis juret, Deus tamen, qui conscientiae testis est, ita accipit, sicut ille, cui juratur, intelligit. Dupliciter autem reus fit, qui & Dei nomen in vanum assumit, & proximum dolo capit. S. Isidorus lib. II. sent. cap. 31.

Tan-

Tandem amphibologica locutio pugnat cum Juramenti fine. Juramenti enim finis eſt manifeſtatio veritatis; locutionis autem amphibologicae finis eſt veritatis occultatio. Ergo qui jurata locutione utitur, Juramenti finem pervertit, & ſacrilege eodem abutitur.

TRACTATUS

DE OBSERVANTIA FESTORUM.

Nota I. FEstorum institutio, atque hinc ad ea sanctificanda obligatio, licet sit de jure positivo, fluit tamen a jure naturali. Recta enim ratio dictat, certum tempus cultui divino destinandum esse: quod in Lege Veteri factum est per Sabbati institutionem in memoriam creationis, & quietis divinae; in Lege vero Nova ab Apostolis in recordationem resurrectionis Christi septimo hebdomadae die primus substitutus fuit, qui & Dies Dominica fuit appellata.

Nota II. Olim disputatum fuit, num diei Dominicae festum juris divini sit, an Ecclesiastici. Sed hodie communi sensu juris esse Ecclesiastici docent Theologi cum *D. Thoma* 2. 2. *q.* 122. *art.* 4. *ad* 4. ubi haec habet: *Dicendum, quod observantia Diei Dominicae in Nova Lege succedit observantiae Sabbati, non vi praecepti legis, sed ex constitutione Ecclesiae, & consue-*

suetudine populi christiani. Hinc colliges praeceptum observandi festa quoad substantiam quidem, seu quatenus vult aliquod tempus cultui divino destinandum, esse naturale, & adhuc obligare; quoad designationem autem Sabbati esse caerimoniale, & cum Mosaica Lege jam abrogatum; quoad destinationem vero diei Dominicae esse Ecclesiasticum.

Nota III. Sunt & alia praeter diem dominicam festa ex praecepto Ecclesiae celebranda in memoriam beneficiorum Dei, & in honorem Sanctorum; quibus quidem diebus festis Ecclesia praecipit eundem cultum, qui praecipitur diebus dominicis, ut constat ex sensu, & praxi Ecclesiae.

Festa diebus dominicis addita, ne sua nimia multiplicitate populorum profanationi exponerentur, *Urbanus VIII.* suo decreto edito anno 1642. ad praefinitum numerum reduxit; ita ut omnia Festa, quae in eodem decreto non sunt expressa, fuerint omnino antiquata; etsi prius ex voto observarentur, ut probabilius colligitur ex cit. decreto: data tamen facultate, ut in quolibet Regno, seu Provincia, & Civitate, aut Oppido possit Festum unius ex principalioribus Patronis sub praecepto colendum designari. Postea a *Clemente XI.* anno 1708. additum fuit Festum Conceptionis B. Virginis, & in Calendario Nea-

politano etiam auctoritate Apostolica addita fuerunt Festa Sanctorum Augustini, Clarae, & Mariae Magdalenae Poenitentis. Tandem anno 1748. *Benedictus XIV.* alia via frequentiam Festorum imminuit. Nam Festis quibusdam diebus minus sollemnibus opera servilia exerceri posse permisit, ut videre est in sua Bulla, quae incipit, *Cum sicut*, data pro Regnis utriusque Siciliae.

Nota IV. Festorum institutio cum sit actus spiritualis jurisdictionis (respicit enim Dei cultum, animarumque bonum) ad eos pertinet, quibus spirituale Ecclesiae regimen demandatum est. Hinc indicere Festa, quae ubique terrarum populum Christianum obligent, spectat ad Concilium Generale, & ad summum Pontificem. Possunt etiam Episcopi dies Festos in propria Dioecesi instituere, accedente tamen Cleri, & populi consensu; ut ex *Cap.* Pronuntiandum, *de Consecratione dist.* 3. colligit *S. Antoninus par. II. tit. 9. cap.* 7. Et recte, quia in Festorum institutione politica Civitatis negotia interrumpuntur.

Nota V. Praeceptum dies festos servandi obligat sub mortali, etiam praeciso scandalo, & contemtu; tum ex communi sensu Doctorum, & fidelium persuasione; tum quia ejus materia gravis est, & ad Dei cultum pertinet. Hinc contrariam opinionem damnavit *Innocentius XI.* in sequen-

quenti prop. *Praeceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemtus.*

Nota VI. Tempus, quo incipit diei festi obligatio, est a media nocte ad alteram usque proxime sequentem. Res facti est, quae ex consuetudine habetur, eique standum.

Nota VII. Tandem in praecepto servandi Festa exterior Dei cultus praecipitur, qui tamen fructus sit & effectus cultus interni. Vide *D. Thomam* 2.2. *q.* 112. *art.* 4. *in c.*

Ad cultum vero servandum duo praecipue in Ecclesia jubentur; nempe cessatio operum servilium, & Missae auditio. Hinc in negativum, & affirmativum praeceptum istud Summistae distinguunt: *Negativum*, quatenus quaedam opera, ne illis diebus fiant, prohibet: *Affirmativum*, quatenus quaedam ut fiant, praecipit. His positis, sit

CAP. I.

C A P. I.

De Cessatione ab opere servili.

Nota I. TRiplex operum genus in homine datur, *servile* scilicet, *liberale*, & *commune*.

Servile opus dicitur, quod principaliter ad corporis utilitatem refertur, & per servos fieri solet: ut terras colere, fabricare, sculpere, & universim omnia artium mechanicarum opera.

Liberale est, quod principaliter refertur ad animum, ad mentem scilicet instruendam, & communiter a liberis, & nobilibus exercetur: ut legere, scribere, docere, canere, instrumenta musica pulsare, dare consilia, & responsa, linearum domus, munimenti, picturae, vel operis textorii adumbrationem ducere. Ita *Cellator Andegavensis tom. II. in Decalogum*.

Commune dicitur, quod servis perinde, ac liberis competit: ut iter agere, venari, piscari, ludere, & similia.

Nota II. Triplex porro opus servile distinguitur a *D. Thoma* 2. 2. *q.* 122. *art.* 4. *ad* 3. nimirum *religiosum*, quod famulatum Deo praestat; *vitiosum*, quo homo peccato inservit; & *humanum*, sive mecha-

chanicum, quo homo homini servit.

Nota III. Sunt & alia opera, quae licet servilia non sint, lege tamen diebus festis fieri prohibentur. Cujusmodi sunt mercatus, & judicia forensia. De his omnibus distinctis paragraphis aliqua sunt disputanda.

§. I.
De Opere servili vitioso, sive de peccato diebus festis perpetrato.

Nota. Acriter inter Theologos disputatur, an adsit speciale praeceptum, prohibens peccatum die festo; ita ut vi hujus praecepti peccatum mortale die festo perpetratum specialem habeat malitiam necessario in Confessione exprimendam. Pro affirmativa sententia stant veteres Theologi, praesertim *Albertus Magnus*, *D.Thomas*, *S. Bonaventura*, *Alexander Alensis*, *Nicolaus de Lyra*, *S. Antoninus*; inter Recentiores *Genettus*, *Natalis Alexander*, *Henricus a S. Ignatio*, *Pontas*, aliique. Negativam communiter propugnant acuti, & benigni Recentiores. Sit ergo

Prop. Unica.

Cum venerabili antiquitate dico adesse speciale praeceptum, prohibens peccatum die festo; ita ut vi hujus praecepti, peccata mortalia externa, praesertim ebrietates, rixae, fornicationes, & cetera hujuscemodi,

di, novam speciem malitiae mortalis contra Religionem induant, necessario in Confessione manifestandam.

Prob. I. Adest speciale praeceptum die festo vacandi ab opere servili. Ergo & abstinendi a peccato. Prob. conseq. Peccatum est opus maxime servile, juxta illud Christi *Joan. VIII. Omnis, qui facit peccatum, servus est peccati*. Ergo &c. Ita ratiocinatur *Augustinus*, qui *Tract. III. in Joan.* haec habet: *Spiritualiter observat Sabbatum Christianus abstinens se ab opere servili. Quid est ab opere servili? a peccato: & unde probamus? Dominum interroga: Omnis, qui facit peccatum, servus est peccati.*

Dices: Peccatum est quidem opus servile, sed metaphoricum, & generali lege prohibitum; non vero speciali praecepto de sanctificatione festorum, quae proprie respicit opus servile mechanicum, quod corporalibus laboribus exercetur. Ergo vi hujus praecepti hoc, non illud proprie prohibetur.

R. Ultro fatemur peccatum esse opus servile metaphoricum. Ergo non est materia hujus praecepti, negatur consequentia: quod sic probatur.

Prob. II. Opus servile mechanicum ideo festo die prohibetur, quia opponitur divino cultui, quem cultum Deo debitum potissimum hoc praecepto juberi docet *D. Tho-*

Thomas 2. 2. *q.* 122. *art.* 4. *in c.* Atqui peccatum mortale eidem cultui maximo est impedimento. Ergo &c. Ita argumentatur *D. Thomas* loc. cit. *Quia magis homo impeditur a rebus divinis per opus peccati, quam per licitum, quamvis sit corporale; ideo magis contra hoc praeceptum agit, qui peccat die festo, quam qui aliud corporale opus licitum facit .... Non autem qui peccat venialiter in Sabbato contra hoc praeceptum facit, quia peccatum veniale non excludit sanctitatem.* Vide *Catechismum Romanum par.III. de 3.Praecepto num.* 11.

Dices I. Peccatum potius opponitur fini praecepti, quam ejus substantiae. Sed finis praecepti non cadit sub praecepto. Ergo peccatum mortale proprie, & immediate praecepto sanctificationis non opponitur.

R. dist. Minorem. Si sermo sit de fine externo operantis, concedo. Secus de fine ipsius operis, praesertim si specialis sit, ac proxime intentus. Unde cum in hoc praecepto agatur de cultu exteriori certis diebus, debuit maxime vetari peccatum, quod divini cultus praecepto opponitur. Peccatum enim mortale hominem efficit ineptiorem ad hunc cultum Deo rependendum, quam opera servilia mechanica.

Dices II. Hujusmodi assertio repugnat pra-

xi fidelium, quibus usus non est hanc circonstantiam confiteri, & Confessariis, qui de ea interrogare poenitentes ne cogitant quidem.

R. Hoc provenit defectu instructionis in poenitentibus, & ex adhaesione ad sententiam oppositam in Confessariis. Ceterum *D. Bonaventura in opusculo*, cui titulus, *Confessionale de Circumstantiis*, *cap. XI. part.* 20. docuit hanc circumstantiam in Confessione detegendam esse, dicens: *Interrogandus est poenitens de tempore, quo peccatum perpetravit, utrum videlicet in tempore festivo, vel non festivo.* Et rationem reddit *D. Antoninus par. II. tit.* 19. *cap.* 10. §. 2. *Peccatum mortale commissum die festo est multo gravius, quam alia die. Nam ultra propriam deformitatem, puta furti, vel fornicationis, habet specialem deformitatem ex illa circumstantia temporis sacri, qua festum violatur.* Hinc, ut dicit *Nicolaus de Lyra in Exodum Cap. XX. non solum is agit contra unum praeceptum, scilicet non maechaberis, aut illud, non furtum facies; sed etiam contra illud de sanctificatione Sabbati.*

Dixi, *praesertim ebrietates, rixae, fornicationes &c.* cum haec crimina ineptiorem reddant hominem ad cultum Deo praestandum. Hinc multi Recentiores, nobiscum sentientes, excludunt omnia peccata interna, & plura externa, quae si die fe-

festo committantur, in communi aestimatione gravem injuriam sacro tempori non irrogare censentur.

Ad scrupulos tollendos monet *Concina*, *poenitentes non esse vexandos, quod in praeteritis Confessionibus hanc temporis sacri circumstantiam omiserint: quoniam in iis sumus, in quibus ignorantia excusare valet: Propterea*, sequitur laudatus Theologus, *sollicitandi minime sunt poenitentes, ut totam vitam revolvant, ut examen generale instituant, quo valeant has circumstantias deprehendere . . . . Satis est, si dum alia confitentur peccata, simul exponant, se elapso tempore frequenter diebus sacris peccasse, nec debitum confitendi cognovisse hanc circumstantiam: quapropter nunc se de omnibus confiteri, & de omnibus peccatis diebus festis perpetratis se summopere dolere.*

§. II.
De Opere servili mechanico.

Nota. Certum est 1. opera vere servilia Christianis prohibita esse diebus festis. 2. Prohibitionem hanc non adeo severam, & generalem Christianis praescribi, ut olim Judaeis praecipiebatur, ut eis ne cibos quidem coquere, vel praeparare liceret die Sabbati; sed id fiebat die praecedenti, qui propterea *Parasceve*, ut pluri-

ribus visum est, dicebatur. Vide *D. Thomam 2. 2. q. 122. art. 4. ad 4.*

Insuper multa sunt opera, quae num servilia sint, & die festo vetita, inter Theologos disputatur. Ut igitur dignoscatur, quaenam die festo vetentur, & quaenam permittantur, sit

Prop. I.

Graviter peccat qui die festo sive pretii, sive recreationis gratiâ opus servile exercet; nisi rationabilis caussa, aut legitima consuetudo excuset.

Prob. Quia obligatio die festo cessandi ab opere servili gravis est, ut constat ex praxi, & sensu fidelium. Ergo graviter peccat qui illam violat.

Dixi 1. *sive pretii, sive recreationis gratiâ.* Quia finis operantis naturam operis haud permutat.

Dixi 2. *nisi rationabilis caussa*, nempe pietas, necessitas, aut levitas materiae, de quibus infra.

Dixi 3. *aut legitima consuetudo.* Quia consuetudo, quando est legitime introducta, a culpa excusat, & legem tollit.

Hinc licet in festis praestare opera, quae sunt necessaria ad usum quotidianum: ut coquere cibos, lectos sternere, purgare domum, aut vestes, utensilia culinaria lavare, & similia. Ratio, tum quia non est ita arta prohibitio die festo operandi apud Christianos, sicut apud Judaeos die Sabba-

ba-

bati, ut ex *D. Thoma* supra retulimus; tum quia ita fert fidelium consuetudo. Idem multi docent de panis confectione, vel quia panis confectio reducitur ad praeparationem cibi diurni, vel quia adest legitima consuetudo illum conficiendi, praesertim si agatur de publicis pistoribus, ut plurimi testantur. Idem multi docent ex consuetudine ubique fere tolerata, de tonsione barbae, praesertim si sermo sit de agricolis, aliisque, qui profestis diebus nequeunt sine gravi incommodo adire barbitonsores: cum tonsio barbae inter ea, quae ad corporis salutem vel decentia vel necessaria sunt, recenseatur. Idem alii dicunt de calceantibus novos calceos. Verum in his, aliisque innumeris circa hanc materiam difficultatibus vix absoluta responsio dari potest, cum ex variis circumstantiis pendeat decisio.

Opera, de quibus dubitari solet, an sint servilia, ideoque die festo prohibita, sunt pictura, iter, piscatio, venatio: Nos sequentibus quaestiunculis discutiemus.

Q. I. *An liceat pingere die festo?*

R. Neg. Ita communiter contra aliquos. Quia ars pingendi communi aestimatione est mechanica; non enim tendit ad instructionem mentis, sed ad assimilandas rerum imagines: quod pro certo habeas, si sermo sit de arte non pingendi, sed tingendi; ut qui asseres, vel pannos colorat, vel

vel parietes dealbat. Mechanicis artibus accensenda est ars sculptoria, sive sculpatur in marmore aut metallo, sive in creta aut ligno. Idem dic de acu pingentibus. Nam communi aestimatione artificialia isthaec mechanica reputantur, sive penicillo, sive scalpro, aut acu fiant.

Q. II. *Utrum venari, aucupari, piscari ex genere suo sint opera servilia; ideoque jure communi diebus festis prohibita?*

R. Affir. ut colligitur ex *Cap.* Licet, *de feriis*, ubi *Alexander III.* urgente sola necessitate, piscandi exercitium impertitur. Ergo sublata necessitate, piscatio est illicita. Adde Pontificem non absolute dispensare, sed 1. majora festa excipere. 2. onus imponere, ut scilicet *post factam capturam Ecclesiis circumpositis, & Christi pauperibus congruam portionem faciant.*

Venatio vetatur in *Concilio Meldensi Cap.* 77. & in *Capitularibus Caroli Magni Cap.* 22. Verum ex consuetudine venatio, & piscatio non videtur illicita; modo sit moderata, nempe sine magno labore, & tempore. E. G. Si quis piscatur arundine, leporem insequitur cum uno, aut altero cane, aucupatur retibus exiguis; modo haec fiant sine dispendio eorum, quae necessaria sunt ad piam festorum observationem.

Q. III. *Num sit licitum festis diebus iter facere pedibus, equo, navi, curru,* le-

lecticâ ab hominibus delatâ?

R. Affir. Quia iter facere vel opus servile non est, vel ob invectam consuetudinem viatores excusantur. Unde licebit etiam opera ad id necessaria, atque inservientia praestare: ut equos parare, lecticae vel currui adaptare, in mari remigare &c.

Ducere tamen plaustra, vel jumenta onusta, opus servile est. Quare absque necessitate illud inchoare festo die concessum non est, tametsi licitum sit iter inceptum persequi. *S. Antoninus*.

Prop. II.

Opera liberalia, vel communia festis diebus prohibita non sunt.

Prob. Ecclesia prohibet tantum opera servilia. Ergo cetera permittuntur.

Hinc per se licitum est studio vacare, disputare, legere, vel componere libros, docere quascunque scientias etiam ob lucrum; quia hujusmodi actus ad artes liberales pertinent.

Item advocatum consulere, consilia dare in scriptis, uti Amanuensi ad componendas lectiones, conciones, juris allegationes, dati & accepti rationes facere. & illas ex diariis in alios libros transcribere; quia haec opera liberalia sunt.

Dubitatur de eo, qui ex instituto artem transcribendi lucri caussâ exercet, vulgo *copista*, & de typographo characteres ordinante. Pri-

Primum communiter excusant, praesertim Recentiores. Secundum communiter damnant, si die sacro laboret; quod certum est apud omnes de exprimente literas torculari.

Die Festo bellare, exercere milites, necessitas, vel invecta consuetudo excusat. Idem docent de arte digladiandi.

Q. IV. *An choreae, ludi scenici, idque genus similia sint die festo Christianis vetita?*

R. Affir. inspectis tamen omnibus circumstantiis.

Prob. Constat ex Patribus, variisque Conciliorum canonibus, ita ut antiqua, & praesens Ecclesiae disciplina in hac prohibitione conformis sit, & in suo vigore perduret, ut observat *Bossuetius in opusculo adversus Comoedias*, §. 30. Hinc colliges, haec & similia oblectamenta esse prohibita non solum jure naturae ob periculum peccandi, verum etiam Ecclesiastica lege, ob sacri diei profanationem. Duo vero hîc opponuntur, consuetudo, & Magistratus auctoritas, qui cum possint talia spectacula impedire, non impediunt.

Ad I. R. non esse consuetudinem, sed corruptelam, cum agatur de re, quae fovet occasiones peccandi. Nam talia oblectamenta, inspectis omnibus circumstantiis, sunt malorum seminaria, libidinum, rixarum, ebrietatum, & commessationum scaturigines. Ad

Ad II. R. haec a sapienti Magistratu tolerari, non vero approbari; cum civilis prudentia ad majora mala vitanda multa tolerare cogat, quae tamen ex hac politica permissione licita non evadunt. Audi laudatum Theologum loc.cit. *Neque credendum est, aliquid propterea fieri licitum, quod ob duritiam humani cordis toleratur: aut Deum judicare instar hominum, ut quemadmodum politica ratio multa permittere cogit supremos Civitatis Moderatores, ita Deus quoque haec eadem connivendo, indulgendoque praetereat.*

Dixi, *inspectis omnibus circumstantiis*, nempe personarum, loci, temporis, argumenti poëmatis &c. Nam saltatio non est de re mala. *David saltabat totis viribus ante Dominum*, dicitur *II. Regum VI. & Domino placebat*, ut patet ibid. Unde dicimus choreas interdum licitas esse, modo comites habeant hasce conditiones a *D. Thoma* praescriptas in *Cap. III. Isaiae*. *Istae circumstantiae videntur in ludo choreali observandae, ut non sit persona indecens, sicut Clericus, & Religiosus; ut sit tempore laetitiae, ut . . . . in nuptiis, & hujusmodi; ut fiat cum personis honestis, & cum honesto cantu; & quod gestus non sint nimis lascivi*. Hinc nec ipse *Concina* damnare audet choreas, quae in paternis aedibus, vel in nuptiis inter consanguineos in signum innocentis laetitiae ducuntur.

Idem dic de comoedia, quae etiam innocenter repraesentari potest, ut fieri assolet in Collegiis, in quibus comoediae juvenum mores ridendo castigant, eosque instruunt ad publice dicendum sine periculo, cum nulla in scenam alioquin honestam prodeat persona muliebris, aut muliebriter vestita. Hanc vel similem comicam repraesentationem nec *Bossuetius* ipse reprobat in *cit. Opusculo Cap.* 35.

Ex his vide discrimen inter doctrinam Casuistarum, & nostram sententiam. Casuistae enim absolute pronuntiant choreas, saltationes, comoedias non esse opera servilia, neque suo genere peccata mortalia; ideoque festis diebus licita. Nos contra asserimus hujusmodi oblectamenta, inspectis omnibus circumstantiis, vetita esse jure quidem naturali, cum hominem ad peccatum inclinent; Ecclesiastica vero lege, ut sacri temporis profanationes.

§. III.
De Opere servili religioso.

Nota. Inter Opera corporalia divino cultui dicata, quaedam *proxime* ad ipsum divinum cultum spectant, & sunt gestare crucem in supplicatione, statuas deferre, pulsare campanas, organa ad divina Officia &c. Quaedam vero *remote*, ut sunt ornare aulaeis templum, tabulata ad sollemni-

ta-

tatem erigere. Tandem sunt & alia, quae ita *remote* concurrunt, ut nonnisi *ex operantis intentione* ad utilitatem & cultum templi cedant: ut agros Ecclesiae colere, arare, ligna & lapides ad templi constructionem conquirere, deferre, & cetera id genus. De iis omnibus inter Theologos disputatur, num sint licita die festo, pro cujus solutione sit

Propositio.

Opera corporalia, quae proxime ad divinum cultum excitant, die festo sunt licita: quae vero remote, non debent absque rationabili caussa in diem festum differri: illa tandem, quae solum ex intentione operantis in utilitatem templi cedunt, sunt omnino servilia, & prohibita.

Prob. 1. pars. Quia si haec opera essent die festo prohibita, prohibitio esset contraria fini praecepti; nam ideo abstinemus ab opere servili, ut divino servitio vacemus. Unde hujusmodi servitus potius opus est latriae, quam divino cultui adversa. Hinc *Matth. cap.XII.* dicitur, *Sabbatis Sacerdotes in templo Sabbatum violant*, idest corporaliter in Sabbato operantur, *& sine crimine sunt*. Ita *D. Thomas* 2. 2. *q.* 122. *art.* 4. *ad* 3.

Prob. 2. pars. Haec opera remote tantum se habent ad cultum divinum. Ergo non sufficit sola ratio religionis, sed requiritur alia rationabilis caussa, ut licite

& abſque ulla culpa in diem feſtum transferri queant. Ita *Cajetanus*, aliique non ignobiles Theologi.

Hinc abſque rationabili cauſſa die feſto non licet aulaeorum opificibus, tapetibus ornare Eccleſiam, moles artificioſas ad exponendam Euchariſtiam conſtruere, condere ſepulcra, praeſepia &c.

Dixi, *non poſſe fieri haec opera abſque ulla culpa die feſto, niſi adſit rationabilis cauſſa.* Nam aliqui docent, eos, qui abſque rationabili cauſſa ejuſmodi opera diebus feſtis exſequuntur, peccare mortaliter; alii vero venialiter. At haec deciſio ex variis circumſtantiis colligi debet.

Prob. 3. pars. Tertii generis opera de ſe ſervilia ſunt, ideoque prohibita. Ratio enim pietatis extrinſeca eſt, & remota; cum ex intentione operantis ſolum ad cultum divinum ſpectent. Ergo ob ſolam cauſſam exercendae pietatis permitti non poſſunt.

Hinc licitum non eſt agricolis, aliiſque artificibus operas ſuas diebus feſtis impendere, nempe exſtruere templa, parietes Eccleſiae dealbare, ſerta pro altaribus conficere, mappas, & corporalia lavare, agros Eccleſiae colere &c.

§. IV.

§. IV.
De Mercatu diebus festis vetito.

Nota. Mercatus nomine tria intelligi possunt, 1. Universales sollemnesque nundinae, vulgo dictae *Fiera*, quae semel, vel bis in anno celebrari solent. 2. Nundinae particulares de quibusdam rebus usualibus, vulgo *Mercato*, quae semel, vel bis in hebdomada habentur. 3. Ipse actus mercandi, id est rerum emtiones, & venditiones.

Propositio.

Nundinae sive universales & annuae, sive particulares & hebdomadariae, sive actus mercandi diebus festis communi jure prohibentur: attamen in hac re consuetudo locorum attendenda est.

Prob. ex *Cap.* Omnes, *Tit.* 9. *de Feriis: Omnes dies dominicos a vespera in vesperam cum omni veneratione decernimus observari, & ab omni illicito opere abstinere, ut in eis mercatum minime fiat.* Non quia vendere, & emere sit opus servile, ideoque vetitum diebus festis: sed quia actiones hujusmodi impediunt & distrahunt Christifideles a cultu divino, ad quem dies festi sunt instituti. Ita *Umbertus de Romanis* in egregio opere *De Eruditione Religiosorum Praedicatorum lib. II. Tract. 2. num.* 92.

Dixi, *attamen in hac re consuetudo locorum attendenda*. Hinc nundinae universales ex consuetudine jam recepta etiam die festo celebrantur: nundinae vero particulares si non ubique, in multis tamen locis permittuntur; ita ut Jus Canonicum ad nundinas quod attinet sive annuales, sive hebdomadarias, videatur abrogatum, ait *Concina*. Quoad actum mercandi consuetudo etiam in hoc magna ex parte legem abrogavit. Hinc in festis vendi permittuntur quae sunt necessaria ad quotidianum usum, puta venditiones, & emtiones panis, vini, carnium, fructuum, aliorumque id genus. Item excusantur venditiones, quae fiunt in parvis oppidis; quia profestis diebus nulli forent emtores, & in rusticorum, ac pauperum commodum communiter exercentur.

Minime vero excusantur mercatores, qui apertis officinae januis notabilem partem diei festi in emtionibus, & venditionibus insumunt; cum hae publicae venditiones vetentur sub mercatus nomine, nec contraria consuetudo obtineat.

An nomine mercatus intelligantur etiam prohibitae aliae negotiationes, ut locationes, conductiones, & similes contractus, sunt qui ajunt, sunt qui negant. Hinc docent multi die festo licitos esse omnes contractus, modo fiant sine instrumentis, & judicis auctoritate; ideoque vendi-

ditionem magni momenti factam cum sollemnitate damnant de mortali. Hinc Notarii apud nos petere ab Ordinario assolent licentiam die festo instrumenta conficiendi.

§. V.
De Judicio forensi diebus festis vetito.

Nota. Judicium forense, quod dicitur etiam *placitum*, & *strepitus judicialis*, omnes illas comprehendit actiones, quae ad decisionem caussarum tam civilium quam criminalium, tam secularium quam ecclesiasticarum spectant.

Porro judicii forensis tres partes sunt, *inchoatio*, *processus*, & *terminus*.

Inchoatio caussae fit per Rei citationem. *Processus* fit per caussae cognitionem, examinatis & juratis testibus, & exhibitis instrumentis. *Terminus* tandem habetur per sententiae prolationem.

Sunt & aliae actiones forenses, quae *extrajudiciales* dicuntur, & sine judiciali strepitu habentur: ut litem amicabiliter componere, judicem informare; ex his, quaenam die festo sint vetita, sequenti propositione decernimus.

Propositio.

Strepitus omnis judicialis die festo prohibetur, ita ut actus judiciales eo die habiti, non solum sint illiciti, verum etiam

invalidi; nisi tamen necessitas urgeat, vel pietas aliter suadeat.

Prob. Ita expresse habetur in *Cap.* Conquestus *de feriis. Debet judicialis strepitus diebus conquiescere feriatis, qui ob reverentiam Dei noscuntur esse instituti.* Id etiam prohibetur in jure civili, uti habetur ex toto *Tit. C. de feriis.*

Dixi 1. *ita ut judiciales actus &c.* Ita clare legitur in cit. *Cap.* Conquestus: ubi *nec processus habitus teneat, nec sententia, quam contingit diebus hujusmodi promulgari.*

Imo nec Partes huic constitutioni renunciare possunt, ut judicium instituatur.

Dixi 2. *nisi tamen necessitas urgeat;* puta si testis alio tempore haberi nequeat, vel si periculum immineat, ne justitia impediatur.

Dixi 3. *vel pietas aliter suadeat;* puta jus dicere pro caussis pauperum, pro detentis in carceribus, pro curatoribus, ac tutoribus dandis vel constituendis.

Hinc I. illiciti, & invalidi sunt sequentes judiciales actus die festo habiti, nempe 1. citatio partis, sub qua venit mandatum judicis de citando reo, & hujus mandati exsecutio. 2. Formatio processus seu cognitio caussae, sub qua venit interpositio jurisjurandi, & testium depositio. 3. Sententiae prolatio, & exsecutio; cum hujusmodi actus ad Judicialem strepitum pertineant.

Hinc

Hinc II. die festo sequentes actiones permissae sunt; offerre nimirum judici supplicem libellum, ipsum informare, litem amicabiliter componere; cum sine strepitu forensi fiant. Item licita est appellatio a judicis sententia, cum sit licitum qualibet die se defendere.

Idem docent de sententia excommunicationis, suspensionis, & interdicti; quia hujusmodi sententiae medicinales sunt, quae animae bonum inspiciunt. Idem dicendum de absolutione ab excommunicatione, de dispensationibus, privilegiis, provisionibus, beneficiorum collationibus, & aliis voluntariae jurisdictionis actibus, qui die festo permittuntur; cum sine strepitu judiciali fiant.

De juramento die festo praestando docent, vetitum esse ex *Cap.* Omnes, *de feriis*, modo sit juridicum, & sollemne: licitum vero esse, si privatum, & extrajudiciale; cum juramenta privata nullo modo perturbent diei festi sollemnitatem.

§. VI.

De Caussis excusantibus ab observatione praecepti festis diebus opera servilia prohibentis.

Nota. Certum est apud omnes, dari caussas excusantes ab onere abstinendi die festo ab operibus servilibus. Hujusmodi

enim praeceptum cum sit Ecclesiasticum, non obligat cum gravi damno.

Q. I. *Quaenam caussae excusant ab obligatione omittendi opera diebus festis prohibita?*

R. Plures a Theologis enumerantur. I. Est *Consuetudo approbata*. Haec enim excusat ab humanis legibus; quia si legitima est, legem ipsam abrogat. Sed vide, ne sub consuetudinis larva abusus, & corruptelae occultentur: quae vero, introducta jam consuetudine, permittantur, vide §. II.

II. Est *Pietas erga Deum*; modo opera proxime excitent divinum cultum. Vide dicta in §. III.

III. Est *Caritas erga proximum*. Hinc licet sepelire mortuos, nudos operire, curare infirmos. Quare excusantur Pharmacopolae, Medici, Chirurgi, modo conficiant medicamina eo die necessaria.

IV. Est *Utilitas publica*. Sic operari licet ad communem laetitiam, & splendorem, ut in adventu principis, aut ex caussa victoriae, aut nuptiarum, arcus triumphales perficere, ignes artificiosos exstruere, aulaea ordinare &c.

V. Est *Necessitas propria, vel aliena spiritualis, vel corporalis*, quae praeveniri non potuit, dum scilicet sine gravi damno opus aliquod omitti, aut differri nequit. *Sabbatum enim propter hominem factum est,*

est, *non homo propter sabbatum*, ait Christus, *Marci cap. II.* 27. Sic excusantur 1. pauperes, qui clam, & sine scandalo laborant, audito divino Officio, quando aliter se, suamque familiam alere non possunt.

2. Famuli, & ancillae, aliaeque personae subjectae, quae die festo laborare coguntur a dominis, parentibus, quando renuere non valent sine timore gravis damni, aut gravis indignationis; modo id non praecipiatur in diei festi contemtum, cum hoc in casu etiam cum vitae dispendio a labore debeant abstinere.

Item licitum est famulis, aliisque similibus die festo suas vestes reficere, cum id aliis diebus non permittitur ab heris.

3. Instauratores pontium, viarum publicarum, & similium, quae moram non patiuntur.

4. Piscatores alecum, thynnorum, & similium piscium, qui brevi tempore excurrunt.

5. Naucleri pendentes a ventis.

6. Sartores, qui quas vestes profestis diebus perficere non potuerunt, eas diebus festis absolvunt: quando ob sollemnitatem nuptiarum, aut exequiarum, earum vestium usus urgeat, ita ut ex earum defectu scandala & rixae orirentur: qui tamen peccant, si suâ se culpâ in eam necessitatem conjecerint.

7. Coquentes vitrum, saponem, calcem, tegulas, ollas, & similia, quarum coctio plures dies requirit, si in opere jam inchoato diebus festis continuent; quia ex interruptione grave, & inevitabile damnum sequeretur. Haec autem opera possunt aliquando etiam die festo inchoari, nempe ad vitandum grave damnum; ideo harum, & similium difficultatum resolutio frequenter pendet ex circumstantiis, & judicio prudentum.

8. Agricolae, qui tempore messis, & vindemiae segetes metunt, & triturant, vel fructus, aut uvas colligunt, fenumque ventorum, grandinis, & pluviarum subducunt periculo.

An liceat die festo laborare ad vitandum otium?

R. Communiter negant; nisi urgeat tentatio, quae aliter vinci non potest, nisi laborando, quod raro accidit.

Q. II. *An in praecepto opera servilia diebus festis vetante, detur parvitas materiae?*

R. Affir. Nam qui leviter praeceptum infligit, leviter peccat.

Q. III. *Quaenam temporis pars in hac transgressione parvitas materiae censeatur?*

R. Cum dist. In judicio forensi, & mercatu quantitas materiae non solum ex quantitate temporis, sed etiam ex qualitate operis desumitur. Sic brevis agitatio li-

litis in re magni momenti, & prolatio sententiae est gravis culpa.

In operibus vero servilibus labor per duas horas integras absolute loquendo est materia gravis, & peccatum mortale: materia levis, & veniale peccatum, si labor infra duas horas terminetur. Sed hoc temporis spatium rectius determinabitur ex circumstantiis, nempe ex statu personae, ex illius conscientiae ratione, ex consuetudine vetiti laboris &c.

Porro illud advertendum, gravitatem materiae etiam ex unione, & integritate morali desumi debere. Sic graviter peccat dominus mandans sex suis famulis, ut die festo per horam laborent, quia hae sex horae integram materiam gravem constituunt respectu domini mandantis, in cujus jussione moraliter uniuntur: & hoc verum est, sive simul, sive successive famuli domini imperio laborent.

Q. IV. *Quinam dispensare valeant ad laborandum die festo?*

R. 1. Romani Pontifices, 2. Episcopi, vel quasi episcopalem potestatem habentes, etiam in festis communibus. 3. Parochi, quando non datur facilis accessus ad Episcopum, sed tantum ad tempus, & pro aliquo particulari casu.

CAP. II.

CAP. II.

De Obligatione die festo Missam audiendi.

HActenus de cessatione ab opere servili, age & de cultu die festo praestando videamus. Cultus iste jure naturali, ac divino nullo actu definitus est. Ecclesia tamen illum definivit, praecipiendo Missae auditionem. Itaque de hac obligatione hoc capite aliqua sunt disputanda, & I. quidem de Natura, & obligatione praecepti Missam die festo audiendi, & de personis, quae sub hoc praecepto comprehenduntur. II. De Praesentia. III. De Attentione. IV. De Devotione. V. Et de Integritate, quibus Missa audienda est. VI. De excusatione ab ea audienda. VII. Tandem, an exceptâ Missâ, fideles vi praecepti Ecclesiae ad alium peculiarem Religionis actum teneantur.

§. I.

§. I.
De Natura, & obligatione praecepti Missam die festo audiendi, & quas personas comprehendat.

Q. I. *Num sit in Ecclesia praeceptum fidelibus impositum Missam die festo audiendi?*

R. Affir. Constat ex *Cap.* Missas *de Consecratione Dist. I.* & ex praxi, & sensu fidelium: ubi adverte 1. hujusmodi obligationem gravem esse, cum materia ipsa sit gravis. Quare fidelis, qui Sacrum audire libere omittit die festo, graviter peccat, etiam sublato scandalo. 2. Fideles non solum diebus Dominicis Missam audire adstringi, sed omnibus festis ex praecepto praescriptis; quia hisce sacris diebus idem cultus praecipitur, ac diebus Dominicis. 3. Ceteris diebus, qui sacri ex praecepto non sunt, nullum fidelium teneri Missam audire. Unde Missam fideles audire non tenentur, nec in triduo Rogationum, nec in feriis Quadragesimae, nec in triduo Hebdomadae Sanctae, etiamsi in feria sexta in Parasceve, aut Sabbato Sancto recurreret festum Annunciationis B. Virginis; secus si praefatum festum feria quinta majoris Hebdomadae celebrari contingeret.

Q. II. *Quinam obligentur ad Missam audiendam?* R. O-

R. Omnes baptizati, & ratione utentes. Unde non tenentur Missam audire 1. Catechumeni, qui per baptisma Ecclesiam non adhuc sunt ingressi. 2. Pueri, non completo septennio, amentes &c. Quia ii Missae assistendo praesentia humana non sunt idonei.

Q. III. *Ut fiat satis praecepto Ecclesiae, quonam ritu, qua hora, a quonam Sacerdote, & quo in loco Missa audienda sit?*

R. I. Quocunque ritu fideles Missam audiant, modo sit ab Ecclesia Romana approbatus, praecepto satisfieri, cum praeceptum sit de audiendo Sacro absolute, non hoc, vel illo ritu, vel idiomate. Unde adimplet praeceptum, qui die festo Missam audit celebratam pro defuncto, vel celebratam ritu sive latino, sive graeco, sive syriaco; quia diversitas ritus, vel idiomatis non efficit, ut non sit vera Missa. Idem dic de eo, qui die Nativitatis Domini unam ex tribus Missis audit.

R. II. De hora communior sententia docet, satisfieri praecepto, quacunque hora a media nocte ad aliam usque Missa audiatur; quia lex tantum praecipit, ut Missa illo die audiatur, nullâ horâ praefinitâ. Peccaret vero fidelis, si post meridiem Missam audire differret, ob periculum cui se exponeret, Missam non audiendi. Unde qui Nativitatis Domini nocte audit Mis-

Missam, quae in Sacello Pontificio, vel alibi ex privilegio ante mediam noctem celebratur, satisfacit praecepto, dummodo eam non computet etiam pro die praecedenti, quando vigilia incidit in Dominica; quia privilegium anticipandi non tollit, quin Missa censeatur infra diem.

R. III. Sufficit, ut Sacerdos celebrans sit catholicus; modo non sit vitandus, depositus; quia cum Ecclesia eorum Sacerdotum celebrationem rejiciat, non potest satisfieri ejus praecepto per auditionem Missae, quam Ecclesia improbat. Quare si alius Sacerdos non esset, qui die festo celebraret, nisi nominatim excommunicatus, suspensus, aut interdictus, vel esset realiter aut verbaliter degradatus; vel esset haereticus, aut schismaticus, omittenda potius esset Missa, quam cum eo Sacerdote in divinis communicare. Secus de Sacerdote excommunicato tolerato; quia ex *Constit. Martini V.* eos Sacerdotes vitare non tenemur. Vide dicenda *in Tractatu de Censuris*.

R. IV. In Ecclesiâ publicâ Missa est audienda, quaecunque ea sit, ut patet ex communi consuetudine ubique recepta, & a summis Pontificibus approbata. Quare satisfacit praecepto qui Missam audit sive in propria, sive in aliena Parochia, sive in Ecclesiis Regularium. Item in Oratoriis, sive sacellis in palatiis Episcoporum ere-

erectis, aut in Conventibus Regularium, vel in parvulis illis Ecclesiis, quae habent januam publico ingressui, & communi viae expositam.

Dixi, *in publica Ecclesia*. Nam juxta communiorem sententiam, excipiuntur Oratoria in privatis domibus secularium erecta, in quibus privilegium conceditur pro certis personis, privative quoad alias, ut colligitur ex clausula, quae Pontificiis Brevibus inferri solet: *Volumus autem, ut alii, qui non sunt de familia, non censeantur liberi ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia*. Hinc in privilegiis, in quibus praefata clausula non additur, fit satis praecepto Missam audiendi istis in locis; ut is, qui in castris cum militibus, & in litore cum navigantibus Sacro assistit.

Porro Missam audiendo in Oratoriis privatis satisfaciunt domini, & omnes de familia, cum descendentibus, & uxoribus, & famulis eorum. Aliquando comprehenduntur etiam hospites, istorumque famuli. Sed de hoc consulendum est Breve Apostolicum, in quo recensentur omnes personae privilegiatae.

§. II.
De Praesentia ad Missam audiendam.

Q. *Quae, & qualis praesentia requiratur ad Missae auditionem?*

Ante responsionem noto, duplicem praesentiam *physicam*, & *moralem* distingui. Physica est permanentia in eodem loco, quo Missa celebratur. Moralis est permanentia cum attentione vel in eodem loco, vel in diverso; qui tamen juxta hominum aestimationem idem censeatur.

R. Ad quaesitum, requiri praesentiam moralem in audienda Missa. Ratio est, quia praeceptum Ecclesiae est de audienda Missa. Atqui verbum audiendi secum fert praesentiam moralem; cum non audiant nisi qui humano modo praesentes sunt. Ergo ut hujus praecepti exsecutioni fiat satis, requiritur moralis praesentia. Adverte per auditionem non intelligi solum auditum, sed praesentiam illam, quae aliquo sensu externo percipiat quid agatur.

Hinc qui ob angustiam templi, vel ob multitudinem populi a Celebrante distant, sed animo, & corpore cum aliis vicinioribus uniuntur, simul flectunt genua, pectora tundunt, surgunt, capita inclinant, moraliter praesentes Sacrificio esse censentur; quia unum corpus constituunt, simulque sacrificium offerunt; ideoque praeceptum

ptum implent. Contra Missam non audiunt, etsi intra Ecclesiam sint, 1. ebrii. 2. Qui per Missae tempus dormiunt. 3. Poenitentes, qui dum Missa legitur, sua peccata confitentur, & Sacerdotes, qui eorum Confessiones excipiunt; cum eorum praesentia materialis sit, non vero moralis.

§. III.
De Attentione, & Devotione in Missa audienda.

Q. I. *Ut quis satisfaciat praecepto audiendi Missam die festo, num requiratur, ut attente, ac devote Missam audiat?*

R. Affir. Nam auditio Missae praecipitur ab Ecclesia, ut actus humanus ac religiosus, qui sine attentione, ac devotione haberi nequit. Hinc qui per notabile tempus in Missa voluntarie distrahitur, praeceptum non implet.

Nota, attentionem, quae ab Ecclesia in Missa praescribitur, esse per modum orationis. Quare debita ad Missam attentio non excludit preces voluntarias, neque ex aliqua obligatione debitas. Potes ergo submisse recitare Horas Canonicas, poenitentiam a Confessario injunctam, aut orationem ex voto debitam. Hae siquidem obligationes non modo non sunt sibi oppositae, sed potius mutuo sese adjuvant. I-

tem

tem servitus a ministris in Missae celebratione, haud impedit attentionem necessariam. Sic Musici praecepto satisfaciunt, si Missam audientes attendant simul ad id, quod in Ara geritur, cum horum actiones in Dei cultum referantur.

Q. II. *An novum committat peccatum qui Missae interest in statu peccati mortalis, quique actuali affectu peccatum amat?*

R. Affir. Non quod Missam audit, sed quod non sicut oportet, Missam audiat. Nam fideles adstantes sunt ministri, victimae, & testes sacrificii: fideles enim cum Sacerdote offerunt, & offeruntur. Ergo si peccat Sacerdos, qui polluto corde sacrificium offert, peccat & fidelis, qui in statu peccati, & cum actuali affectu ad peccatum Sacro assistit; non gravius quidem publico Ministro, nempe Sacerdote (qui proxime & ex officio celebrat) sed levius, cum mystice, & remotius offerat.

Quantitatem hujus malitiae quidam docent esse gravem, ut *Natalis Alexander*, aliique. Quidam vero dicunt esse venialem: in hanc secundam sententiam propendit *Concina*.

Neque per hoc deterrendi sunt peccatores ab audienda Missa, sed agendum, ut spiritum meliorem induant, & sanctissimam Religionis actionem, qua pietate decet, exerceant. Ut quis cum fructu Missam

sam audiat, has dispositiones requirit *Trid. sess.* XXII. *cap.* 2. ubi ait, *Sacrificium illud, nempe Altaris, vere propitiatorium esse, per ipsumque fieri, ut si cum vero corde & recta fide, cum metu & reverentia, contriti ac poenitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.*

§. IV.
De Missae audiendae Integritate.

Q. I. *Num die festo integra Missa sit audienda?*

R. Affir. ex *Cap.* Missas, *de Consecrat. Dist. I.* in quo ex *Concilio Agathensi* praecipitur, ut die Dominico tota Missa audiatur, & ut ante benedictionem Sacerdotis egredi populus non praesumat. Idem jubetur in multis aliis Conciliis. Hinc praeceptum non implet qui notabile Missae partem omittit.

Q. II. *Quaenam pars Missae censeatur notabilis, ita ut ejus omissione praeceptum non impleatur?*

R. Cum dist. Omissio semper censetur notabilis, quando est de parte essentiali, puta de Consecratione vel Communione: quando vero est de parte integrali, puta de praeparatoriis ad Missam, ut est de confessione, de introitu, gloria, collectis, epistola &c. non censetur notabi-

bilis, nisi pertingat ad tertiam Missae partem.

Quaenam vero sit ista tertia pars?

R. Pro more variant Casuistae. Quidam docent usque ad Epistolam inclusive; quidam vero usque ad Evangelium inclusive. Hinc a principio usque ad epistolam exclusive est pars levis; inclusive Epistolà, juxta aliquos est pars notabilis, juxta alios Evangelio inclusive: sed melius gravitas isthaec, vel levitas dijudicabitur ex fidelis negligentia, consuetudine, necessitate.

Q. III. *An satis fiat praecepto, audiendo duas partes Missae a duobus simul Celebrantibus?*

R. Neg. *Satisfacit praecepto Ecclesiae de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor simul a diversis Celebrantibus audit*. Hanc propositionem damnavit *Innocentius* XI.

Quid si has duas Missae partes successive audiat a diversis Sacerdotibus?

R. Etiam Neg. Ecclesia enim unum & integrum Sacrificium audire praecipit: quod certe non adimpletur, audiendo Sacrum per fragmenta, & partes.

§.V.

§. V.
De Caussis excusantibus a Missae auditione.

Q. I. *Num sint caussae, quae ab audiendo Sacro christianos excusant?*

R. Affir. Et generatim ad duas revocantur, ad impotentiam scilicet *physicam*, & *moralem*: quia lex humana non obligat ad id, quod physice vel moraliter impossibile est.

Hinc 1. audire Missam non tenentur in carcere exsistentes, aegroti, navigantes, aliique similes; quia sunt physice impediti.

Hinc 2. qui non possunt audire Missiam sine gravi incommodo sui, & proximi; sive vitae, sive corporis, sive animae, sive honoris, sive etiam boni temporalis, ex morali impotentia excusantur.

Q. II. *An qui legitimâ caussâ impeditus Missam omittit, teneatur, si possit, alias preces Deo offerre?*

R. Affir. Si non ex praecepto Ecclesiae, saltem ex debito naturali, & divino honorandi Deum aliquo exteriori cultu. Audi *Augustinum*. *Qui ad Ecclesiam venire non potest, saltem in domo sua oret, & non negligat Deo reddere pensum servitutis.*

Q. III. *Num haec omissio mortalis sit, an venialis?*

R. Mortalem esse docet *Marcantius*, cui subscribit *Sporer*. *Concina* candide fatetur,

tur, se quantitatem hujus malitiae ignorare; sed in severiorem potius, quam mitiorem partem propendit.

§. VI.

De aliis piis operibus, quibus Christiani festis diebus vacare debent.

Q. *An Christiani festis diebus praeter Missae auditionem, ad alia pia opera teneantur?*

R. Cum dist. Vi praecepti Ecclesiastici ad nihil aliud praeter Missae auditionem fideles tenentur. Quia id solum colligitur tum ex ipsius praecepti verbis, tum ex communi Theologorum, ac fidelium sensu. Vi vero naturalis, ac divini praecepti dies festos sanctificandi aliis piis operibus fideles vacare debent. Non enim videtur diem festum sanctificare, qui unico quadrante, vel ad summum mediâ horâ Deo vacat, audiendo Missam. *S. Antoninus Cajetanus*, aliique.

Opera vero, quibus fideles diebus festis incumbere valent, sunt examen propriae conscientiae, piorum librorum lectio, auditio Concionum, & praesertim Catechesium (si fideles sint rudiores) visitatio infirmorum, eleemosynarum distributio, aliaque quae studium placendi Deo suggerere solet.

TRACTATUS

DE VITIIS RELIGIONI OPPOSITIS.

VItia virtuti Religionis opposita, sunt duo: Unum per *excessum*, quod *Superstitio* dicitur; alterum per *defectum*, & *Irreligiositas* appellatur. *D. Thomas* 2. 2. *q.* 92. *art.* 1.

CAP. I.

De Superstitione.

Q. *QUid sit Superstitio?*

R. Superstitio est *falsa Religio*, *seu cultus vitiosus veri*, *aut falsi numinis*. *D.Thomas* loc.cit. *art.* 2.

Ex quo infers duplicem generaliter esse Superstitionem, unam ex parte *objecti*, alteram ex parte *cultus indebiti*.

§.I.

§. I.
De Superstitione ex parte Objecti.

Q. I. *Quot sint species Superstitionis ex parte objecti?*

R. Tres, *Idololatria*, *Divinatio*, & *vana Observantia*; quae sunt ex genere suo mortalia.

I. *Idololatria* est, cum cultus, qui soli Deo debetur, creaturae exhibetur. Triplex est, perfecta, minus perfecta, & simulata.

Perfecta est, cum quis sciens idolo divinum honorem exhibet, quia falso existimat Deum esse.

Minus perfecta est, cum quis creaturae cultum Deo debitum offert; non quod credat in ea inesse divinitatem, sed ex pravo affectu, E. G. odio veri Dei, vel cupiditate aliquid a diabolo obtinendi.

Simulata est, cum quis sine existimatione divinitatis, & sine interno colendi affectu, metu tyranni vel populi, exterius idolo exhibet cultum, soli Deo debitum.

II. *Divinatio* est significatio occultorum ex pacto cum daemone sive expresso sive implicito.

Pactum autem *expressum* habetur, quando quis daemonem disertis verbis rogat, aut aliquid usurpat expressa intentione, ut daemon cooperetur.

Implicitum pactum habetur, quando quis utitur mediis, nullam vim ad occultorum notitiam habentibus neque naturaliter, neque ex instituto divino, aut ecclesiastico. E. G. Quando quis ad furem divinandum, utitur cribri circumductu; talis enim cognitio non potest exspectari nisi a daemone.

Porro Divinationis species potissimum sunt tres; nimirum Necromantia, Astrologia judiciaria, & Sortilegium.

Necromantia est responsio daemonis immediate invocati. Si haec responsio fiat per idolum, vocatur *oraculum*; si per vates, *vaticinium*; si per signa apparentia in visceribus animalium daemoni immolatorum, vocatur *haruspicium*; si per somnia, dicitur *divinatio somniorum*; si per manes, idest per mortuorum aliquorum apparitionem vel locutionem, dicitur proprie *necromantia*; si ex inspectis lineamentis manuum, vocatur *chyromantia*; si per observationem garritus avium, *augurium*; si ex avium volatu, *auspicium*; si per signum in terra effectum, *geomantia*: in aqua *hydromantia*, in igne *pyromantia*, in aëre *aëromantia* appellatur.

Astrologia judiciaria, quae fit, cum ex situ aut motu astrorum eventus a libero arbitrio pendentes praedicuntur, vel praeteriti aut praesentes occulti effectus denunciantur. Praesentio futurorum contin-

gen-

gentium soli Deo adscribitur. *Isaiae cap. XLI. Annuntiate quae ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dii estis.* Quare Astrologia judiciaria utroque jure damnatur, scilicet Canonico & Civili.

Dixi, *judiciaria*, ut distinguatur ab Astrologia naturali, qua ex siderum concursu praedicuntur eclipses, pluviae &c. quae cum illis naturalem habent connexionem.

Sortilegium est divinatio per sortes.

Nota. Sortes sunt triplicis generis; sors nimirum *divisoria*: quae actio est eo fine facta, ut, illius eventu considerato, innotescat quid cuique sit tribuendum, puta munus, honor, dignitas &c.

Consultoria, ut innotescat quid hîc & nunc agere oporteat.

Divinatoria, ut innotescat quid futurum sit.

Divisoria licita est sive in partitione bonorum, cum consentiunt qui ad ea jus habent; sive in poenis, ut cum e reis pluribus unus aut alter puniendus est; sive in functionibus onerosis, ut cum designandi sunt Sacerdotes, qui pestis tempore Sacramenta administrent. Attamen sortes divisoriae vel consultoriae in ecclesiasticis electionibus prohibitae sunt, ut habetur ex *cap. III. de Sortilegiis. Sortis usum in electionibus perpetua prohibitione damnamus.* Imo juxta multos talis electio est nulla:

 quod

quod pro certo habent de electione Praelati habentis jurisdictionem cum in criminalibus, tum in civilibus ex *cap.* Quia propter *de Electionibus*. In electionibus ad dignitates seculares sortitio nullo jure vetita est, modo fiat in aequaliter idoneis, ne idoneis neglectis, minus idoneus eligatur. Tunc peccatum erit contra justitiam distributivam.

Consultoria est illicita, quia saltem continet tentationem Dei, & diabolicae deceptionis periculum; solet enim daemon iis se immiscere: unde sub anathemate prohibetur *cap.* Sortes *quaest.* 5. Licita tamen esse potest, si concurrant hae conditiones; 1. Necessitas, & humani consilii defectus. 2. Ut effectus a Deo solo exspectetur. 3. Ut reverenter consulatur. 4. Ne haec sortitio adhibeatur in electionibus ad beneficia ecclesiastica. His conditionibus sortes a Domino *temperantur*. *Prov.XVI.*

Divinatoria vera est superstitio; quia hujusmodi sors nullam habet connexionem cum eventu futuro, neque ut caussa, neque ut effectus ejusdem. Ergo in his sortitionibus semper adest pactum expressum vel tacitum cum daemone. Conferendus est hîc *D. Thomas* 2. 2. *q.* 95. *art.* 8.

III. *Vana observantia* est superstitio, qua ad effectum aliquem obtinendum adhibentur media vana, inutilia, & improportionata.

Tri-

Triplex autem eſt ex *D. Thoma* 2. 2. *q.* 96. per totum.

Prima eſt *ars notoria*, qua quis ad ſcientiam acquirendam quibuſdam utitur mediis, quae ſecundum ſe virtutem non habent ſcientiam cauſſandi.

Secunda eſt *obſervantia ſanitatum*, qua ad curandos morbos adhibentur media vana & inutilia, V. G. nomina ignota, figurae quaedam, caerimoniae inanes, remedia naturalia quidem, ſed quibus quaedam vana adjunguntur tanquam neceſſaria, V. G. herbae collectae in vigilia alicujus Sancti &c.

Tertia *obſervantia futurorum eventuum*, quae eſt praedictio proſperae vel adverſae fortunae ex ſignis prorſus ineptis ad ejuſmodi praenoſcenda. V. G. Si quis mane domo egrediens, offendat pedem, & ideo domum revertatur, timens aliquid infauſtum. Videſis *Auguſtinum de Doctr. Chriſt. cap. V. & ſeq.*

Vana Obſervantia ex genere ſuo eſt peccatum mortale; quia in his, ſicut in aliis ſuperſtitionis ſpeciebus, pactum tacitum vel expreſſum intervenire poteſt. Theologi advertunt perſonas ſimplices aliquando a mortali excuſari ob inadvertentiam, ignorantiam, & ſimilia.

Huc revocantur Magia, & Maleficium.

Magia eſt, cum quis ex pacto & cooperatione daemonis intendit mira facere.

Maleficium est, cum quis ex pacto & cooperatione daemonis intendit alteri nocere.

Duplex est. Aliud dicitur *amatorium* seu *philtrum*, quo quis utitur ad carnalem amorem, vel odium excitandum. Aliud dicitur *veneficium*, quo alicui personae, vel ejus bonis damnum infertur.

Q. II. *Quomodo tollatur Maleficium?*

R. 1. Exorcismis, oratione, jejuniis, Ecclesiae Sacramentis, & aliis pietatis operibus. 2. Remediis ex medicina petitis: non quod naturalia remedia in daemones, auctores maleficiorum, agere valeant; sed quatenus pravos humores expellunt, aut corrigunt, purgantque. 3. Destructione signorum ipsius maleficii: haec enim signa, destruendo daemonis instrumenta, amoventur, ut ab inferendo damno desistat.

An licitum sit petere a malefico, ut maleficium tollat?

R. Non licet, si non possit tollere, nisi per aliud maleficium, vel superstitionem; cum sit intrinsece malum, daemonem invocare, vel ad id inducere: licet vero, si tollat per meram destructionem ipsius maleficii.

Nota. Malefici non sunt absolvendi, nisi omne pactum cum daemone & commercium abjurent ac dissolvant. Signa & instrumenta magicae artis comburere debent, tanquam argumentum fracti foederis,

&

& futurae inimicitiae cum daemone. Item illata damna sunt resarcienda. Quod si maleficus daemoni chirographum proprio sanguine subscriptum tradiderit in signum promissae servitutis, necesse non est illud ab eo redimere: nam ad ejus destructionem sufficit vera & sincera poenitentia. Nullum quippe peccatum est, cujus poenitere se nequeat impius, si velit, Dei gratia adjuvante.

§. II.
De Superstitione ex parte Indebiti Cultus.

Q. *Quid sit Indebitus cultus?*

R. Est cultus, quo verus Deus colitur, sed modo inordinato. Et hic duplex est, scilicet falsus, & superfluus.

Cultus falsus est, cum falsa miracula praedicantur, falsae reliquiae exponuntur &c.

Cultus superfluus est, cum aliquis ex indiscreta devotione, missis caerimoniis ab Ecclesia constitutis, ex arbitrio alias sibi fingeret: puta Missam non audire, nisi cum tot candelis, nec pluribus, nec paucioribus, aut istius & non alterius coloris &c.

CAP. II.

De Irreligiositate.

Q. Quid sit Irreligiositas?
R. Est peccatum, quo Deus in se, vel in rebus sacris inhonoratur.

Quinque autem Irreligiositatis numerantur species, nempe *Blasphemia*, *Tentatio Dei*, *Sacrilegium*, *Perjurium*, & *Simonia*.

§. I.
De Blasphemia.

Q. I. *Quid sit Blasphemia?*

R. Est contumeliosa in Deum locutio. *Augustinus lib. II. de Mor. Manich. cap.* 2. Blasphemiam his verbis describit: *Est autem Blasphemia, cum aliqua mala dicuntur de bonis. Itaque jam vulgo Blasphemia non accipitur, nisi mala verba de Deo dicere. D. Thomas* 2. 2. *q.* 13. *art.*1. eam sic definit: *Blasphemia est derogatio divinae bonitatis.* Quae omnes definitiones in idem recidunt, Blasphemiam scilicet contumeliam esse & convicium in Deum.

Dixi, *in Deum*, sive immediate, sive me-

mediate in rebus vel personis sacris, in quibus sicut laudatur Deus, sic & contumelia afficitur. Hinc dividitur Blasphemia in eam quae est in *Deum*, & in eam quae est in *Sanctos*.

Q. II. *Quotuplex sit Blasphemia?*

R. Quadruplex, nempe haereticalis, imprecativa, juratoria, & dehonestativa.

Haereticalis est ea, qua de Deo aliquid contumeliose affirmatur, V. G. quod sit *injustus*, *crudelis &c.* vel negatur, quod sit *omnipotens*, *bonus &c.* Duplicem continet malitiam mortalem, scilicet contra fidem, & religionem. Quod si error per Blasphemiam expressus non crederetur, tunc non haberet haeresim comitem, sed tantum prolatio esset haereticalis contra externam fidei professionem.

Imprecativa est ea, qua quis Deo malum imprecatur. E. G. *Pereat Deus*, *utinam Deus non esset &c.* Haec odium Dei continet.

Juratoria est ea, qua quis jurando blasphemat. V. G. *Hoc ita verum est*, *sicut Evangelium*, *sicut Deus*, *sicut Christus natus est ex Virgine*. Haec creatam veritatem divinae Veritati aequat, & quod proprium Dei est, creaturae tribuit.

Dehonestativa est indecens nominatio membrorum Christi, V. G. *capitis*, *ventris*. Item irrisoria nominatio Mysteriorum, & Sacramentorum Christi. Haec magnum

Dei contemtum continet.

Ad Blasphemiam revocantur quaedam signa contra Deum, licet verba non adsint. ut *spuere in caelum, infrendere dentibus &c.*

Insuper Blasphemia, sicut laus Dei, cui directe opponitur, alia est *cordis*, seu mere interna, quae corde fit duntaxat. Alia *oris* seu externa, quae foras erumpit in verba vel alia signa externa. *D. Thomas* 2. 2. *q.* 14. *art.* 1.

Q. III. *Quale peccatum sit Blasphemia?*

R. Est genere suo peccatum mortale, neque admittit parvitatem materiae. *Quaecunque* (inquit Angelicus 2. 2. *q.* 13. *art.* 2.) *caritati repugnant, ex suo genere sunt peccata mortalia. Blasphemia autem secundum genus suum repugnat Caritati divinae, quia derogat divinae Bonitati.*

Ad malitiam Blasphemiae contrahendam non requiritur formalis & expressa intentio inhonorandi Deum; sed sufficit virtualis & interpretativa: qualis reperitur in eo, qui deliberato animo verba profert blasphema, licet hoc faciat ad iram, aut indignationem exprimendam.

Q. IV. *Num peccet mortaliter, qui inadvertenter blasphemat?*

R. Cum dist. Si ex habitu per poenitentiam non sublato, seu non retractato verba blasphema proferat, peccat, quamvis ad Blasphemiam non advertat ob ejusdem ha-

habitus propensionem. Quia hujusmodi Blasphemiae sunt sufficienter voluntariae ac liberae in caussa, quam neque retractat, neque emendare curat.

Si vero, habitu per poenitentiam retractato, in extirpanda consuetudine laboret, & inadvertenter in Blasphemiam incidat, excusatur a culpa: quia haec non est voluntaria neque in se, neque in caussa.

Q. V. *Num specie differat blasphemia in Deum ab ea, quae est in Sanctos?*

R. Affir. Ita multi: quia blasphemiae opponuntur honori & cultui, qui debetur Deo & Sanctis. Sed cultus Dei plusquam specie differt a cultu omnium creaturarum. Cultus enim Dei est latriae, cultus Sanctorum duliae, & B. Virginis hyperduliae.

Hinc in Confessione explicandum est, an fuerint blasphemiae in Deum, in B. Virginem, vel in Sanctos.

§. II.
De Tentatione Dei, & Sacrilegio.

Q. I. *Quid sit Tentatio Dei?*

R. Est dictum vel factum ad capiendum de Deo experimentum per extraordinarium effectum ab eo temere exspectatum.

Dupliciter committi potest I. *Expresse*, ut contigit Monacho illi, qui se in puteum projecit, ratus sibi adfuturos Ange-

gelos, qui cadentem exciperent. Huc pertinent *Probationes*, quae olim fiebant ferro candente, aut aqua fervente, vel duello.

II. *Implicite*, cum quis ad obtinendum finem ordinariis mediis non utitur. Sic Deum tentant qui remediis uti nolunt ad sanitatem, neque medio ad Dei verbum digne tractandum.

Tentatio Dei est peccatum mortale ex genere suo; quia gravem erga Deum importat irreverentiam: potest tamen esse veniale, si quis nec intendat, nec cogitet actionem suam ad Dei tentationem pertinere. Imo non peccaret qui ex vivido Spiritus Sancti impulsu, peteret miraculum a Deo, ut fecit Habraam *Gen. XV.*

Q. II. *Quid, & quotuplex sit Sacrilegium?*

R. I. Sacrilegium est violatio rei sacrae.

R. II. Triplex est: *Personale*, quo violatur persona: *Locale*, quo locus: & *Reale*, quo res aliae Deo sacrae violantur.

I. *Persona sacra* multipliciter violari potest. Si scilicet ejusmodi personae sacratae violenter percutiantur. Si ipsae peccent contra castitatem, aut aliae cum eis &c. Cujusque enim voti violatio Sacrilegium est.

II. *Locus sacer* tripliciter violatur 1. Per actus, quibus polluitur: quales sunt effusio illicita & publica sanguinis, aut semi-

minis humani &c. 2. Per actus, qui licet eum non polluant, ejus tamen sanctitati adversantur: quales sunt mercatus, sententia judicis secularis praesertim criminalis, confabulationes, & comestio sine necessitate. 3. Per actus, qui ipsi materiali loco vim inferunt, ut si fores Ecclesiae infringantur, Altaria demoliantur &c. Tandem de furto in Ecclesia commisso, tenendum quod statutum legimus a Pontifice *Joanne VIII. in Cap.* Quisquis *XVIII. quaest.*4. *Sacrilegium committitur auferendo Sacrum de Sacro, vel non Sacrum de Sacro, sive Sacrum de non Sacro*

III. *Res sacra* dupliciter violatur 1. *Positive*, cum indigne tractatur: puta qui Sacramenta irreverenter pertractaret, ea male recipiendo, aut male administrando. Item qui vasa sacra adhiberet ad potandum, sacras vestes indigne rescinderet, laceraretve &c. 2. *Negative*, ut qui negligunt sacra Chrismata & Eucharistiam debita vigilantia custodire. Item qui negligenter sinunt sacras particulas in pixide corrumpi. Item si corporalia, vasa sacra, pallae satis mundae non serventur &c.

Q. III. *Quale peccatum sit Sacrilegium?*

R. Ex genere suo est grave peccatum, & eo gravius, quo sanctior res est quae violatur. Potest esse veniale aut ob materiae tenuitatem, quae non ita pugnet cum sanctitate loci, aut ob inadvertentiam.

In

In Confessione species Sacrilegii exprimenda est ; quia aliter violatur res Deo dicata, aliter persona Deo consecrata.

De Perjurio , quod est juramentum , cui deest veritas locutionis, vel exsecutionis, vide dicta superius in *Tract. de Juramento* . De Simonia fusius infra disputabitur.

TRA-

TRACTATUS
DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS.

CAP. I.

De Beneficii Natura, & Divisione.

Q. I. QUid *sit Beneficium Ecclesiasticum?*

R. Est jus perpetuum competens Clerico, fructus ex bonis Ecclesiae percipiendi, propter officium spirituale, auctoritate Ecclesiae constitutum.

Dicitur 1. *jus;* quia Beneficiario ex justitia debentur proventus, tanquam laboris merces.

Dicitur 2. *perpetuum:* quia ex natura sua est tale, ut perpetuo duret. Hinc morte Beneficiarii non extinguitur, sed vacat Beneficium, ad differentiam pensionis, quae obitu Pensionarii deficit.

Dicitur 3. *fructus de bonis Ecclesiae percipiendi*, nimirum de bonis a fidelibus Ecclesiae traditis in sustentationem ministrorum.

Dicitur 4. *propter officium spirituale:* cu-

cujusmodi est recitare Horas Canonicas, Missas celebrare, ministrare Sacramenta &c.

Dicitur 5. *auctoritate Ecclesiae constitutum*: nempe ad illos, ad quos pertinet officia spiritualia instituere, eisque proventus adnectere.

Hinc I. sex conditiones a Doctoribus ad Beneficium Ecclesiasticum requiruntur. 1. Ut sit Episcopi auctoritate fundatum. 2. Ut rei spirituali sit adnexum. 3. Ut conferri Clerico debeat. 4. Ut sola persona ecclesiastica conferre illud possit. 5. Ut sit perpetuum. 6. & Collator nequeat illud sibi conferre.

Hinc II. patrimonium, cujus titulo Clerici ad Ordines promoventur, beneficii rationem non habet. Item Capellaniae a privatis erectae beneficia non sunt, neque canonica institutione conferuntur: Capellani vero de eis in perpetuum provisi, earum titulo possunt ad Ordines promoveri. *Garcias de Benefic. part.* 1. *cap.* 2. Capellaniae autem, quae collativae dicuntur, nempe Episcopi auctoritate erectae & institutae, propriam beneficii rationem habent.

Q. II. *Quotuplex sit Beneficium Ecclesiasticum?*

R. Beneficium dividitur I. in *seculare*, quod Clericis secularibus competit; & *regulare*, quod Regularibus, idest Religiosis professis est addictum, nec secularibus dari pot-

potest, nisi in commendam.

Nota. Omne Beneficium praesumitur seculare, nisi aliud probetur ex institutione, vel per pacificam & continuatam possessionem ejusdem beneficii a tribus Regularibus per annos quadraginta.

II. Dividitur in *simplex* seu *non curatum*, & *duplex* seu *curatum*.

Beneficium *simplex* est illud, quod nullam habet jurisdictionem, administrationem, vel praeeminentiam; sed solum adnexum eidem est debitum recitandi Breviarium, aut Missas celebrandi &c. Talis est Capellania, Canonicatus simplex &c.

Beneficium *duplex* est illud, quod praeter onus divinum Officium recitandi, adnexam habet curam animarum, vel praeeminentiam. Hujusmodi sunt Episcopatus, Parochiatus, Abbatia &c.

III. Dividitur Beneficium duplex in *dignitatem*, *personatum*, & *officium*.

Dignitas est Beneficium, adnexam habens praeeminentiam, jurisdictionemque ecclesiasticam in foro externo. Tales sunt Episcopatus, Abbatia, Praepositura &c.

Personatus est Beneficium, adnexam habens praeeminentiam ecclesiasticam absque jurisdictione. E. G. Primiceriatus, Lectoratus &c.

Officium est Beneficium, administrationem habens rerum ecclesiasticarum sine jurisdictione. Tales sunt Praebenda theolo-

logalis, & Praeceptoria, Thesauraria &c. De his vide si lubet *Glossam in cap.* 1. *de Consuetudinib. in 6.*

IV. Dividitur in *titulare*, & *commendatum*.

Titulare est illud, quod cum plenitudine juris confertur juxta ejus fundationem.

Commendatum est illud, quod solius administrationis aut custodiae gratiâ traditur. Si tradatur ad vitam, aequivalet beneficio in titulum dato.

V. Demum dividitur in *electivum*, *collativum*, & *mixtum*.

Electivum est, quod a pluribus confertur per electionem a superiore confirmandam.

Collativum est, quod per absolutum superioris arbitrium confertur.

Mixtum est, quod Patrono designante Episcopus instituit, & confert.

CAP.

CAP. II.

De variis Modis seu Titulis Beneficium acquirendi.

TRibus modis acquiri Beneficia solent 1. Patroni praesentatione, & institutione consequente. 2. Electione, & confirmatione. 3. Collatione libera.

§. I.
De Praesentatione, & consequente Institutione.

Q. I. *Quid sit Praesentatio?*

R. Praesentatio est personae idoneae exhibitio a Patrono facta Praelato, ut ipse beneficium vacans per institutionem conferat. Patronus autem Praesentato tantum confert jus ad rem. Jus vero in re, & ipsa beneficii collatio per institutionem datur.

Q. II. *Quid, & quotuplex sit Jus Patronatus?*

R. I. Jus Patronatus est potestas Clericum ad beneficium vacans nominandi seu praesentandi. Praesentatio enim ad beneficium nondum vacans nulla est ex *cap. II. de Concess. Praebendae.*

R. II.

R. II. Duplex est, *ecclesiasticum* nempe, & *laicale*.

Ecclesiasticum est illud, quod personae ecclesiasticae convenit vel ratione beneficii aut dignitatis quam habet, vel quia de bonis Ecclesiae fundatum est. Quare solis Ecclesiasticis competit.

Laicale est illud, quod a laico ex bonis patrimonialibus est fundatum. Quare laico, vel clerico competit.

His additur Patronatus *mixtus*, fundatus partim ex bonis patrimonialibus, partim ex bonis Ecclesiae.

Q. III. *Quid commune habeant beneficia tum ecclesiastici tum laici patronatus?*

R. Sequentia 1. Ut nullus Patronus seipsum praesentare possit *cap.* Per nostras *de Jure Patron.* Debet enim esse personalis distinctio inter dantem & accipientem *cap.* Ad nostram *de Institution.* Unus tamen patronus, si plures sint, potest ab aliis compatronis valide praesentari *Glossa in cap.* Consuluit *verbo* concedant *de Jure Patron.* Immo potest procurator a patrono indefinite constitutus ad praesentandum, prout ei visum fuerit, ipsum a quo mandatum habet, patronum praesentare. Secus si patronus seipsum in mandato designet, tunc esset seipsum immediate praesentare.

2. Quod si duo pluresve diversas nominent personas, eorumque suffragia sint aequalia, liberum est Episcopo, cui malue-

luerit beneficium conferre; secundum conscientiam tamen tenetur conferre digniori. Videsis *Cabassutium in Theor.& Prax, lib. II. cap. 7.*

Q. IV. *Quid singulare habeant beneficia patronatus utriusque?*

R. Sequentia 1. Ut Patrono laico tantum quatuor menses ad praesentandum concedantur, sex vero Patrono ecclesiastico: quod temporis intervallum juxta plurimos Canonistas non a die vacationis, sed a die notitiae obitus decurrit; notitiae, inquam, non quae habita est, sed quae haberi potuit. Quod si intra illud tempus patronus non praesentaverit, Episcopus pleno jure cuilibet illud conferre potest *cap. 3. de Jure Patron.*

2. Ut patrono laico liceat variare, idest vel plures simul e quibus unum pro nutu eliget Episcopus, vel successive unum post alterum praesentare. Sed non variat Patronus nisi *semel* juxta multos, & quidem cumulative tantum, non privative, quasi eum excludere possit quem ante praesentaverat. Tunc ergo superior, cujus est instituere, potest cui voluerit ex praesentatis gratificari. Facta vero institutione, cessat facultas variandi. Patronus laicus, qui scienter praesentavit indignum, variare non potest, cum pro hac vice a jure suo exciderit. Qui nesciens, incapacem praesentavit, potest eundem, nondum finito quadrimestri, iterum

rum praesentare, si cessaverit incapacitas.

Patronus vero Ecclesiasticus unica praesentatione Episcopo notificata jus suum exhaurit. Hinc si indignum, aut etiam juxta multos, debito gradu carentem scienter vel ignoranter praesentaverit, alium praesentare non potest.

Dixi, *notificata*; quia nominatio etiam publico instrumento coram notario & testibus facta, non tam pro praesentatione, quam pro praesentandi proposito habetur, quamdiu rite collatori significata non est. Hinc nominatio, quae ad aures Ordinarii non pervenit, non impedit 1. quo minus Patronus sive ecclesiasticus sive laicus a prima praesentatione resilire possit: 2. quo minus Papa patronum ecclesiasticum possit praevenire: 3. & quo minus Episcopus elapso tempore ad praesentandum concesso, pleno jure conferat. Si praesentatus acceptare nolit, aut moriatur ante institutionem, potest patronus ecclesiasticus alium praesentare.

Praeventio autem Papae locum habet in patronis ecclesiasticis; secus vero in patronis laicis. Beneficium patronatus laicalis nec in favorem resignari, nec permutari, nec pensione gravari potest sine patroni consensu. Quod si aliter factum fuerit, caret robore.

Q. V. *Quomodo acquiratur Jus Patronatus?*

R.Tri-

R. Tribus modis Jus Patronatus comparatur, *fundatione* ſcilicet, *conſtructione*, & *dotatione* ſecundum illum *Gloſſae* verſum:

Patronum faciunt dos, aedificatio, fundus.

Porro nec ſola fundi conceſſione, nec ſola expenſarum ſubminiſtratione ad aedificium conſtruendum Jus Patronatus acquiritur. Nam in ſenſu Canonum fundatio accipitur pro conſtructione, & dotatione Eccleſiae. Unde qui in area ſua aedificat, aedificataeque Eccleſiae congruam dotem adſcribit, juxta Canones *Fundator* dicitur. Quod ſi ad ipſam fundationem tres concurrant; unus ſcilicet qui aream ſeu fundum aſſignet, alter qui expenſas conſtructionis conferat, & tertius qui eam dotet, omnes in ſolidum effici Patronos docet *Fagnanus ad Cap.* Quoniam *de Jure Patr.* Fundator vero ipſo jure Jus Patronatus acquirit, etiamſi non petat, vel in pactum deducat, ut ait *Gloſſa ad Can. VI. Diſt.* 1. *de Conſecr.* ſed conſultius ageret, ſi in fundationis tabulis Jus Patronatus ſibi, ſuiſque ſucceſſoribus reſervaret ad lites in poſterum exorituras eliminandas. At ſi neque fundator, neque ejus ſucceſſores Jure Patronatus uſi fuerint ſcientes & volentes, cum de privatis agitur, praeſumendum eſt, eos vel in fundatione hoc

jus remisisse, vel ei decursu temporis renuntiasse.

Jam vero si dos perierit, aut divino cultui exhibendo reliqua dos par non sit, & fundatoris successor aut nolit, aut nequeat novam dotem sufficere, aut veterem augere; hoc casu si Titius novam dare dotem, aut veterem velit augere hac lege, ut Jus Patronatus sibi cum antiquo Patrono concedatur, procul dubio Episcopus, necessitatis aut utilitatis caussa cognita, hoc jus ei concedere valet. Sic qui dirutam, aut ruinosam Ecclesiam, quam fundator ejusque successor rogatus reficere non vult, aut non potest, adsentiente Episcopo, reficit, eodem modo Jus Patronatus sibi comparat. Ceterum si quis dotatae Ecclesiae quid conferat, *Benefactor*, non Patronus habetur.

At praeter hos modos, etiam *praescriptione* posse Jus Patronatus acquiri, communis sententia tenet. Cum enim hoc jus ad heredes etiam laicos transmisibile sit, nihil obstat, quo minus praescriptione ad instar aliorum jurium comparari possit, ut eruitur ex *Cap.* 24. *de Elect.* ubi *Innocentius III.* jus Clericum praesentandi populo asseruit eo solo titulo, quod is in antiqua praesentandi quasi-possessione fuerit.

Verum cum de hoc jure praescribendo contra Ordinarium agatur, juxta communem sententiam requiritur tanti temporis quasi-possessio, cujus non exstet contraria me-

memoria ex *Cap.* 1. *de Praescript. in* 6. eo quod praesumtio sit contra praescribentem, & omnes Ecclesiae sint in ordinatione Episcopi, & a Jure Patronatus liberae secundum jus commune. Quam sententiam confirmat Tridentina Synodus *Sess. XXV. Cap.* 9. *de Reform.* & praeter praescriptionem immemorabilem requirit insuper eadem Synodus, ut justus, & authenticus Juris Patronatus titulus exhibeatur. Sed hoc non satis usu probatur, ait *Espenius* cum aliis multis.

Si vero de hoc jure ab Ordinario contra Patronum praescribendo agatur, quadragenariam praescriptionem Ordinario satis esse, plerique sentiunt.

Num sicuti praescriptione, ita ex privilegio Pontificis acquiri possit Jus Patronatus, quamvis aliqui olim negarint, attamen nunc jure novo cautum est.

Q. VI. *Quomodo Jus Patronatus transferatur?*

R. Vel loquimur de Patronatu Ecclesiastico adnexo alicui officio, dignitati, aut beneficio, & hoc jus transit cum ipso officio, dignitate, aut beneficio ad quemcunque tituli illius possessorem, cum sit jus hujusmodi titulo alligatum.

Si vero agatur de Patronatu laicali, transfertur cum re vendita cui jus praesentandi adnexum est, jure hereditario, & donatione.

Dixi 1. *cum re vendita* . Licet enim Jus Patronatus per se vendi nequeat, cum sit venditio simoniaca , & irrita , ut dicemus in *Tract. de Simonia ;* potest tamen vendi per accidens tanquam fundi venditi accessorium : & tunc vendito fundo, transferuntur omnia jura ei adhaerentia, & per consequens etiam jus praesentandi. Verum in hujus fundi venditione nulla habenda est ratio juris praesentandi, ita ut non debeat pluris vendi fundus, quam in se valeat . Imo in hujus fundi alienatione non esse necessarium Episcopi consensum, affirmant universi .

Dixi 2. *jure hereditario*. Ita enim Jus Patronatus comparatur ab iis omnibus, qui sunt heredes illius fundi cui jus praesentandi adnectitur, etiamsi sint ab intestato, & extranei, ut adnotat *Glossa ad Can.* Filiis *Causs. XII. q.* 7. atque hoc Jus Patronatus *hereditarium* dici potest . Si vero in fundationis tabulis cautum sit , ut certae personae , puta primogenito adscribatur, aut alicui certae rei adhaereat ; tunc Jus Patronatus *familiare* seu *gentilitium* vocatur: quod cum ad heredes transmittitur, omnes in solidum id jus quod testator habuit , consequuntur ; cum testatoris personam repraesentent, eique in jus omne succedant.

Itaque hujusmodi Jus Patronatus duplex est ; aliud hereditarium , cui succeditur in stirpes : aliud gentilitium , cui in ca-

capita plerumque ſucceditur .

Dixi 3. *donatione gratuita* . Eo enim modo Patronatus Jus transferri poſſe, eruitur *ex Cap.* Ex inſinuatione *de Jure Patr.* Et ſi donatio loco pio ac religioſo fiat, non requiritur Epiſcopi conſenſus *ex Cap.* un. *de jure Patr. in 6.* Secus, ſi fiat alteri perſonae .

Quid ſi fundus cui Jus Patronatus adnexum eſt, in dotem detur, aut oppignoretur, vel locetur, cuinam hiſce caſibus competit jus praeſentandi?

R. Ad I. Marito competit jus praeſentandi, non uxori . Cum enim maritus adminiſtrationem dotis, ejuſque civile dominium conſequatur, & jus praeſentandi ut fructus fundi dotalis reputetur; ad eum, non vero ad uxorem ſpectat jus praeſentandi . Si vero Patronatus non ſit realis, ſed perſonalis, puta ſi competat familiae perſonis, hoc caſu juxta aliquos uxori, non marito jus praeſentandi adſeritur : ſicuti eodem jure gaudet uxor, ſi uſufructuaria relicta ſit omnium bonorum, ut tradit *Fagnanus* .

R. Ad II. Si fundus cui Jus Patronatus adnexum eſt, oppignoratus ſit, jus praeſentandi non ſpectat ad creditorem cui fundus pignori datus eſt, ſed ad debitorem . Nam in creditorem nec directum, nec utile pignoris dominium tranſit : neque is pot-

est fructus facere suos, cum sint debitoris cujus est pignus.

R. Ad III. Si fundus locatus sit *ad firmam*, seu ad longum tempus, sicuti totius fundi usus, & fructus transit ad hunc utilem dominum, ita & jus praesentandi, ut constat ex *Cap. VII. de Jure Patron.* ubi *Alexander III.* cuidam militi jus praesentandi adseruit, qui villam *ad firmam* seu ad longum tempus locavit: secus vero, si fundus locatus sit ad breve tempus.

Pro complemento Juris Patronatus adnotare juvat, institutum Clericum praesentatum ab eo qui Jus Patronatus bona fide possidebat, a beneficio removendum non esse, etiamsi praesentanti jus illud non competere legitimo in judicio postea liqueat, omnes affirmant ad *Cap. XIX. de Jure Patr.*

Q. VII. *Quibus conferenda sint Beneficia?*

R. Qui vel prima saltem Tonsura initiatus non est, nullum beneficium consequi potest. Quis vero, & quomodo Tonsura initiandus sit, accipe ex *Concordati* speciali lege *cap.* 4.

Q. VIII. *Num Beneficiarii sint pleni & absoluti domini fructuum, qui eorum honestae sustentationi supersunt?*

Ante responsionem adnotare praestat, tria esse bonorum genera, quae habere potest Clericus, vel Beneficiarius secularis, bona nempe Patrimonialia, Ecclesiastica, &

& quasi-Patrimonialia. *Patrimonialia* sunt, quae per successionem, vel donationem acquiruntur: *Ecclesiastica*, quae titulo beneficii percipiuntur: *Quasi-Patrimonialia*, quae aliqua arte docendi, scribendi, aliove justo lucrandi titulo comparantur. Ad haec ex quamplurium sententia reducuntur etiam ea bona, quae ratione clericalis Ordinis, vel officii comparantur: ut sunt quae proveniunt intuitu celebrationis Missarum, Concionum, aliarumve functionum spiritualium; renuente tamen *Concina* aliisque, qui ista bona inter ecclesiastica computant. Bonorum patrimonialium, & quasi-patrimonialium (exceptis iis quae Clericis obveniunt intuitu functionum spiritualium, de quibus infra) Clericos pleno & absoluto dominio pollere certum est. Ad bona vero ecclesiastica quod attinet quaestio est inter Doctores, num respectu eorum sint pleni & absoluti domini, an dispensatores tantum.

Verum ut in tam salebrosa, & non paucis odiosa quaestione certa ab incertis secernamus, sciendum est quaestionem non procedere, num sub gravi culpa adstringantur Beneficiarii superflua in pios usus erogare, cum nullus omnino Doctor praeter unicum Magistrum *Lorcam* ausus sit Beneficiarios eximere a gravi obligatione impendendi reditus ecclesiasticos, eorum honestae sustentationi superstites, in pauperes,

aliave pia opera, ut optime adnotat sapientissimus Pontifex *Benedictus XIV. de Synodo Dioecesana Tom. I. lib. VII. cap. 2. num.* 5. Sed omnes tam Scholastici, quam Morales, & etiam Jurisperiti unanimi consensione affirmant, teneri sub gravi culpa Beneficiarios, si quid eorum honestae sustentationi supersit, illud in pios usus erogare.

Similiter communi Doctorum calculo adjudicatur Beneficiariis dominium portionis eis debitae pro eorum honesta sustentatione.

Quod igitur inter Doctores differitur, in hoc sistit, num Beneficiariis dominium competat redituum ecclesiasticorum, eorum congruae sustentationi superfluorum; ita ut peccent contra justitiam, aut contra alias virtutes, si hoc superfluum impendant in alios usus quam pios. Varia sunt de hoc argumento Doctorum placita. Alii enim adserentes Clericis beneficiariis verum dominium superfluorum redituum, consequenter dicunt gravem obligationem eis inesse erogandi in usus pios superfluum non ex stricta justitia, sed vel lege caritatis, & misericordiae, vel cum Cardinali *de Lugo* ex virtute Religionis, vel cum *Lessio*, & *Haunoldo* ex positivo praecepto Ecclesiae. Plerique vero praesertim ex antiquioribus denegant Beneficiariis dominium absolutum superfluorum proventuum,
adeo-

adeoque docent praedictam gravem obligationem fluere ex stricta justitia. Ita praeter antiquiores *S. Antoninus*, *Natalis Alexander*, *Genettus*, aliique. His positis,

Assero, Clericos Beneficiarios non pollere pleno & absoluto dominio proventuum ecclesiasticorum, qui supersunt eorum honestae sustentationi; ita tamen ut teneantur vi justitiae superfluum in pios usus erogare.

Prob. I. Notio & idea, quam Concilia, Summi Pontifices, & Patres Ecclesiae nobis exhibent de ratione bonorum ecclesiasticorum, pugnat cum idea & notione pleni & absoluti dominii, neque cum ea convenit. Ergo &c.

Prob. Antec. Ratio & idea bonorum ecclesiasticorum ex Conciliis, Pontificibus, & SS. Patribus importat, ut sint patrimonia pauperum, utpote primum pauperibus erogata, Ecclesiae commissa & commendata, ut eorum matri & altrici, ab eaque Beneficiariis concredita, ut sint eorum bonorum dispensatores, & pauperum provisores. Qui ubi suis necessitatibus prospexerint, si quid eorum sustentationi honestae superfluum in profanos usus expenderint, ut furti, & rapinae rei traducerentur, ut legere est apud *Thomassinum de Vet. & Nov. Eccl. Discip. Part. III. lib. III.* a *cap.* 26. usque ad *cap.* 33. Sed haec omnia pugnant, neque ideae ac notioni quadrant

 ple-

pleni & absoluti dominii; cum hoc importet jus, & potestatem de re aliqua disponendi ut sua, pro libitu & arbitratu suo: ita ut si eam dominus dilapidet, prodigalitatis, non vero furti ac rapinae crimine traduci possit. Ergo si notio & idea bonorum ecclesiasticorum non conveniat cum idea & notione pleni & absoluti dominii, sed cum ea pugnet; concludendum restat Beneficiarios non pollere pleno & absoluto dominio redituum, qui eorum honestae sustentationi supersunt, ac proinde eos ex justitia adstringi ad illos in pios usus erogandos.

Recensendae hîc essent auctoritates cum Conciliorum, tum Summorum Pontificum, & Sanctorum Patrum, qui ut ante, ita & post beneficiorum erectionem exhibent bonorum ecclesiasticorum ideam quam indicavimus: sed eas legere quis potest apud *Thomassinum* loco cit. Unum sufficiat proferre *Bernardum*, qui prae ceteris in Beneficiarios calamum perstringit. Hic enim Epist. ad *Fullonem* sic se habet. *Quidquid praeter necessarium victum, ac simplicem vestitum de altario retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est.* Et in illum Evangelicum textum: *Ecce nos reliquimus omnia*, docet, ideo Clericos, de quibus agitur, furti, & rapinae reos esse, eo quod meri sint oeconomi, & dispensatores rerum Ecclesiae. *Clericus de al-*

altario vivat, & non ex Clericatu ditior fiat . . . . . Res pauperum non pauperibus dare par sacrilegii crimen esse dignoscitur. Sane Patrimonia pauperum facultates Ecclesiarum, & sacrilega eis crudelitate surripitur quidquid sibi Ministri, & dispensatores, non utique domini vel possessores, ultra victum accipiunt, & vestitum.

Prob. II. Si Clerici plenum & absolutum haberent dominium proventuum beneficialium, aut tale dominium acquisivissent ex voluntate Praelatorum beneficia conferentium, aut ex fundatorum voluntate. Atqui neutro ex capite. Ergo &c.

Minor probatur quod ad utramque partem; & quod ad primam, nimirum non acquiri hujusmodi dominium ex voluntate Praelatorum. Nam ex regula Juris 79. *Nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscitur.* Atqui Praelati ipsi non pollent hoc pleno & absoluto dominio in bonis ecclesiasticis, cum sint meri dispensatores, ut rescripsit *Alexander III.* Parisiensi Episcopo in *Cap.* Fraternitatem *de Donationibus: Fraternitatem tuam credimus non latere quod cum Episcopus, & quilibet Praelatus ecclesiasticarum rerum sit procurator, & non dominus &c.* imo nec ipse Summus Pontifex, ut ait *D. Thomas* 2.2. *q.* 101. *art.* 1. *ad* 7. *Quamvis enim res Ecclesiae sint ejus* (nempe Papae) *ut principalis dispensato-*

ris, *non tamen sunt ejus ut domini*, *&* *possessoris*. Si ergo Praelati, & ipsi Summi Pontifices dispensatores tantum sunt, & non domini bonorum ecclesiasticorum, quomodo in Beneficiarios dominium plenum & absolutum transferre possunt, quo ipsi carent?

Prob. eadem Min. quod ad alteram partem, dominium scilicet plenum & absolutum proventuum beneficialium ex fundatoris voluntate non comparari. Tantum enim abest, ut fundatores plenum & absolutum dominium translatum voluerint in Beneficiarios, ut eo onere, ac pacto saltem implicito reliquerint ea bona Ecclesiis, ut impenderentur in cultum divinum aliosve pios usus. Nam sua bona Ecclesiis donando, exercere intendebant opus pium, salutare, meritorium, ac Deo gratum: quod tale non esset quod ad superfluam bonorum partem, si non dedissent cum onere, & pacto saltem implicito & tacito, ut in usus pios, & Deo gratos impenderentur. Hinc hujusmodi bona a Patribus, & Conciliis *vota fidelium*, & *pretia peccatorum* nuncupata sunt: quatenus ut propria redimerent peccata, bona sua fideles ceu victimas Deo consecratas, Ecclesiis donarunt. Non ergo animo transferendi plenum & absolutum dominium in Clericos, eorum bona Ecclesiis reliquerunt fundatores, sed ut cultui divino, aliisque piis operibus ea addicerentur. Quae

Quae hactenus a nobis allatae sunt rationes, evincunt Clericos beneficiarios nec ante erectionem beneficiorum in particulares titulos, nec post institutam beneficiorum erectionem, plenum & absolutum habuisse & habere dominium' in proventibus beneficiariis, eorum honestae sustentationi superfluis, adeoque ex justitia obstrictos esse eos in usus pios impendendi: cum una eademque sit ratio, & natura bonorum ecclesiasticorum, & eodem modo loquantur Patres, Pontifices, & Concilia tum ante, tum post beneficiorum in particulares titulos erectionem.

Hinc colligere licet I. Clericos beneficiarios in usus profanos impendentes ecclesiasticos proventus, eorum congruae sustentationi superstites, tanquam violatae justitiae reos, ad eorum restitutionem adstringi, Ecclesiae, aut pauperibus faciendam.

II. Idem restitutionis onus subire lusores, consanguineos, ceterosque pecuniam a Beneficiariis recipientes, quam certo sciunt ex ecclesiastico Beneficio sibi obvenisse.

III. Quod de beneficii reditibus modo diximus, idem dicendum videtur de oblationibus, & proventibus Clericis obvenientibus ex celebratione Missarum, sacris Concionibus, aliisque functionibus spiritualibus. Haec enim a reliquis bonis eccle-

clesiasticis minime abludunt, cum Clerici ad ea jus nullum habeant, nisi ex officio aliquo ecclesiastico, & opera spirituali praestita; neque a fidelibus erogantur ut merx pretiumve operum spiritualium (hoc enim illicitum esset & Simonia) sed ut stipendium sustentationis Clericorum. Quapropter quidquid eorum honestae sustentationi superest, pauperibus, aliisve piis operibus erogandum est, ut ut alii sentiant.

Q. IX. *Num Clerici sufficienti patrimonio donati, possint beneficiariis uti proventibus ad congruam sustentationem illaesâ conscientiâ?*

Nota. Clericos opulentos posse beneficia recipere, extra dubitationis aleam constitutum esse videtur. Nam, ut notat *Nat. Alex. Tom. I. Theol. Dogm. & Mor. lib. II. cap. V. reg.* 14. nunquam Ecclesiae praxis Clericos patrimonium sufficiens habentes, a redituum ecclesiasticorum participatione exclusit: neque hodie excludit, ut advertit Sapientiss. Pontifex *Benedictus XIV.* in laud. *Syn. Tom. I. lib. VII. Cap. II. num.* 2. *Certum est*, ait, *hac nostra tempestate etiam Clericis divitiis affluentibus ecclesiastica beneficia conferri*. Sed num possint ex his reditibus beneficiariis sustentationem accipere, an eas omnes in usus pios impendere, quaestio inter Doctores agitatur. *Thomassinus* cum aliis negat: *Fagnanus*, *Na-*

talis Alex. cum non paucis affirmant.

Assero posse Clericos divitiis redundantes, beneficiariis proventibus ad congruam sui sustentationem uti illaesâ conscientiâ, dummodo Ecclesiae sint utiles, & alia bona sive proventus juxta leges Christianae caritatis impendant.

Prob. ex Apostolo *I. ad Cor. IX.* qui docet Clericis qui Altari deserviunt, jus competere ex oblationibus fidelium expensas sibi necessarias sumendi. *Ita*, inquit, *Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.* Quod probat ex lege naturali quae jubet, militem vivere illius stipendiis, cujus nomine pugnat: & etiam ex antiqua lege. Atqui *D. Paulus* generaliter de omni Clerico loquitur, nec distinguit inter Clericum pauperem, & opulentum. Ergo omnis Clericus etiam dives, dummodo Ecclesiae sit utilis, jus habet ex bonis Ecclesiae, sive beneficiariis vivendi.

Praeterea probatur ex diversis Canonibus, qui jus tribuunt Clericis vivendi de Patrimonio Jesu Christi secundum servitii sui meritum, absque ulla distinctione Clericorum opulentorum, & pauperum, ut legi possunt apud *Nat. Alex.* loc.cit. aliosque Theologos.

Objici solent aliqui Canones, & Patrum testimonia, ex quibus evincitur Episcopos, & Clericos si indigeant, susten-

tare se posse Ecclesiae stipendiis. Sed hujusmodi Canones vel intelligendi sunt secundum pristinum Ecclesiae statum, quando exiles erant reditus, & prout cuique opus erat distribuebantur: vel Τὸ *si indigeant* intelligendum, ut ex hujusmodi reditibus tantum accipere & expendere eis liceat, quantum necesse habent: vel aliis sensibus, quos legere licebit apud *Nat. Alex.* loc. cit.

Dixi, *dummodo sint Ecclesiae utiles*; nam Ecclesiae servitium, & utilitatem supponunt tum *D. Paulus*, tum Canones hoc jus Clericis tribuentes. Verum Clerici sufficienti Patrimonio donati, urgente pauperum necessitate, reditus omnes ecclesiasticos, aliasve sacras obventiones pauperibus erogare sub gravi adstringuntur, & ex Patrimonio suo vivere, ut tradit *D. Thomas* 2. 2. *q.* 185. *art.* 7. *ad* 3. *Non omnia Bona Ecclesiarum* (inquit) *sunt pauperibus largienda, nisi forte in articulo necessitatis . . . . & in tali necessitate peccaret Clericus, si vellet de rebus Ecclesiae vivere, dummodo haberet patrimonialia bona, de quibus vivere posset.* Atque haec de Beneficiis delibasse sufficiat.

TRA-

TRACTATUS

DE SIMONIA.

CUm *Simon Magus*, a quo *Simonia* descendit, dona Spiritus Sancti cuicunque vellet conferendi potestatem a *D. Petro* pecuniâ cuperet impetrare, gravissimam ab eo meruit reprehensionem *Actor.* VIII. 19. Obtinuit inde, ut qui res spirituales pecunia comparare vellet, *Simoniae* crimine traduceretur. De hoc autem detestabili scelere in praesenti acturi, tria inspiciemus; & I. quidem Simoniae naturam, malitiam, ac divisionem; II. Tum modos, quibus ea committi potest; III. Denique poenas, quibus tantum scelus plectitur.

CAP. I.

De Simoniae Natura, Malitia, & Divisione.

Q. I. QUid ſit Simonia?
R. Simonia eſt ſtudioſa voluntas emendi vel vendendi pretio temporali aliquid ſpirituale, vel ſpirituali adnexum.

Dicitur 1. *ſtudioſa voluntas*, ideſt deliberata voluntatis actio.

Dicitur 2. *emendi vel vendendi*, ideſt quodlibet pactum non gratuitum diſtrahendi.

Dicitur 3. *pretio temporali*, ideſt re qualibet pretio aeſtimabili.

Pretium autem in Simonia triplex diſtinguitur a Canoniſtis; *munus* ſcilicet *a manu*, *a lingua*, *ab obſequio*.

I. *Munus a manu*, ideſt pecunia, vel aliquid aliud pecunia aeſtimabile, E. G. remiſſio debiti, ſolutionis dilatio &c.

II. *Munus a lingua*, ideſt patrocinium, interceſſio, commendatio apud alium.

III. *Munus ab obſequio*, ideſt quodvis obſequium alteri praeſtitum, vel praeſtandum: puta alicui inſervire, adſiſtere, eum

eum comitari, docere &c. ad rem ſpiritualem ab ipſo comparandam.

Porro licet Τὸ *munus* aliquod gratuitum & liberale praeſeferat; hîc tamen nonniſi pro pretio debito accipitur.

Dicitur 4. *aliquid ſpirituale*, ideſt res vel actio ſacra, quae ad cultum Dei, vel ad ſalutem animae, ſpecialiter ordinatur: ut gratia gratis data, aut gratum faciens, oratio, ſacramenta, reliquiae Sanctorum. Item omnis poteſtas ſupernaturalis, ejuſque uſus; ut omnis actus Ordinis, vel Eccleſiaſticae jurisdictionis.

Dicitur 5. *ſpirituali adnexum*, ideſt quod licet de ſe ſit temporale, ſpirituali tamen ita adnectitur, ut hoc vendi non poſſit, quin & illud vendatur. Sic vendi nequit quod in beneficio temporale eſt, quin & vendatur quod eſt ſpirituale.

Triplici autem modo temporale ſpirituali adnecti valet.

I. *Antecedenter*, ut eſt Jus Patronatus quod praeſupponitur Beneficii praeſentationi & collationi.

II. *Concomitanter*, ut labor intrinſecus & neceſſarius in adminiſtratione Sacramentorum.

III. *Conſequenter*, ut jus percipiendi proventus beneficiorum, qui dantur propter officium ſpirituale.

Q. II. *Quale peccatum ſit Simonia?*

R. Eſt graviſſimum peccatum contra Re-

Religionem, & justitiam; nec excipit materiae parvitatem.

Dixi 1. *est gravissimum peccatum*, ut indicant haec verba *Petri ad Simonem Magum Act. VIII. Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri .... in felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te esse.* Patres vero Simoniam vocant *execrabile flagitium, flagitium piaculare.*

Dixi 2. *contra Religionem*, quia est quaedam sacrilegii species, cum per ipsam sanctissima quaeque profane & indigne tractentur.

Dixi 3. *contra justitiam:* quia per Simoniam aliquis usurpat dominium rerum, quod non habet. Unde actus simoniaci sunt nulli, & obligant ad restitutionem.

Dixi 4. *nec excipit materiae parvitatem.* Levitas enim materiae vel se tenet ex parte pretii, & gravius rei sacrae dignitas contemnitur, cum minimi vendatur aut ematur res spiritualis: vel se tenet ex parte rei spiritualis, & haec quantumvis in se parva sit, dum venalis fit, gravem patitur injuriam.

Q. III. *Quotuplex sit Simonia?*

R. Simonia dividitur I. in eam, quae est juris divini, & eam, quae est juris humani.

Simonia *juris divini* est ipsa venditio rei spiritualis, qua talis. Ut si emantur, aut

aut vendantur Sacramenta, si calix pluris vendatur, quia consecratus &c. Unde est intrinsece mala.

Simonia *juris humani* est quaevis ratio comparandi spirituale, solis Ecclesiae legibus reprobata propter reverentiam rei sacrae. Ut si quis propria auctoritate Beneficium permutaret, vel Chrisma consecratum venderet ratione solius materiae &c. Unde mala est, quia prohibita.

Dividitur II. in *mentalem*, *conventionalem*, *realem*, & *confidentialem*.

Simonia mentalis est quae intra mentem sistit.

Haec autem duplex est. I. Est nudum propositum Simoniam committendi, & dicitur *pure mentalis*.

II. Est datio vel acceptio rei spiritualis pro temporali, vel temporalis pro spirituali, nullo interveniente pacto etiam tacito. Ut si quis Episcopo inserviat hac intentione, ut pro temporali obsequio sibi Beneficium procuret, nullâ tamen verbis, vel nutibus facta conventione.

Simonia conventionalis est pactio mutua expressa vel tacita, sed sine exsecutione saltem utrinque completa. Hinc duplex conventionalis Simonia: una, quae dicitur *pure conventionalis*, scilicet ea, in qua neutra ex parte pactum exsecutioni est mandatum.

Altera, quae vocatur *conventionalis* mi-

mixte, scilicet ea, in qua pactum ex una parte exsecutioni est mandatum. Ut si tradito pretio, non tradatur res, E.G. Beneficium, tunc nondum commissa est Simonia realis; quamvis neque sit pure conventionalis, sed mixta ex conventionali, & reali.

Realis Simonia est pactio ex utraque parte completa saltem inchoate. Ut si Beneficii collatio facta sit, & pretium saltem ex parte solutum.

Confidentialis est, cum quis alteri Beneficium procurat eligendo, praesentando, conferendo, resignando, aut aliâ viâ cum certa confidentia, hoc est pacto expresso vel tacito, ut is cui illud procuratur, aliquando procuranti, aut alteri resignet, vel pensionem absque superioris auctoritate ex eo solvat.

Q. IV. *Quot committatur modis Confidentia?*

R. Quatuor modis. I. Per *accessum*: ut cum Praelatus volens alicui per aetatem incapaci Beneficium procurare, illud alteri confert eâ conditione, ut quam primum capax fuerit, illud accipiat.

II. Per *ingressum*: ut cum quis Beneficium sibi collatum ante captam ejus possessionem, alteri eo pacto resignet, ut illud postea ingrediatur, si iste moriatur, vel sit dimissurus.

III. Per *regressum*: ut cum quis Bene-

ne-

neficium a se possessum alteri resignat eâ conditione, ut hic sibi vel alteri idem Beneficium resignaturus sit convenienti tempore.

IV. Per *pensionem*: ut cum praesentans, resignans, conferens &c. pactum ineat expresse, vel tacite, ut pensio vel pars fructuum beneficii sibi vel alteri tradatur.

Nota, ad hanc Simoniam requiri, ut accessus, ingressus, & regressus sint in idem Beneficium: alias non erit Simonia confidentialis, sed conventionalis mixta, vel realis, si sit utrinque completa.

Q. V. *Quibus casibus committatur Simonia juris humani?*

R. Committitur I. in Beneficiorum permutatione sine auctoritate Praelati, nullo interveniente pretio. Item in resignatione in favorem certae personae sine auctoritate Papae. Item in resignationibus confidentiariis: nam in his non commutatur spirituale pro temporali, sed ab Ecclesia prohibentur ob periculum, ne fiant ex aliquo temporali motivo.

II. In venditione quorumdam officiorum temporalium, quae ad regimen Ecclesiae temporale spectant; ut sunt officia OEconomi, Sacristae, Advocati, Procuratoris Ecclesiae. In his enim officiis quaedam dignitas est propter quamdam conjunctionem, quam habent cum supellectili sacra, rebus, & ministris Ecclesiae.

III.

III. In datione etiam ſpontanea, & acceptatione munerum ex occaſione examinis ad Paroeciam Trid. *ſeſſ. XXIV. cap.* 18. *de Ref.* Item ex occaſione collationis Ordinum, Tonſurae, Litterarum dimiſſoriarum, vel teſtimonialium Idem *ſeſſ. XXI. cap.* 1. *de Ref.*

Dixi, *ex occaſione*; nam ſi darentur pro collatione Ordinum, pro Litteris dimiſſoriis &c. eſſet ſimonia juris divini; cum hi actus ſint ſpirituales, utpote procedentes a poteſtate ſpirituali Ordinis, aut Juriſdictionis.

CAP. II.

De Modis, quibus committitur Simonia.

VArii ſunt modi, pacta, & conventiones, quibus Simonia committi poteſt, de quibus diſtinctis paragraphis dicemus.

§. I.

De Modis, quibus committitur Simonia ſpiritualibus adnexa.

Q. *Num liceat emere, vel vendere temporale ſpirituali adnexum?*

R. Temporale adnecti poſſe ſpirituali tri-

tripliciter; antecedenter, concomitanter, & consequenter, ut supra dictum est.

Hinc dico I. Simoniam esse carius vendere, vel emere rem temporalem antecedenter adnexam spirituali, propter spirituale eidem adnexum, ut patet. Nam illud carius pretium daretur propter spirituale; ideoque spirituale pretio aestimaretur, ac venderetur.

Dixi, *carius*. Nam licite emi, & vendi potest res temporalis ratione materiae, artificii, nisi prohibeatur; cum res illa retineat suum valorem intrinsecum, nec ita dependeat a spirituali, ut eà venditâ, haec vendi censeatur.

Hinc licite vendi possunt fundus, cui adnexum est jus patronatus, vasa, & ornamenta sacra.

Dico II. esse Simoniam vendere rem concomitanter adnexam spirituali. Ut labor necessarius ad sacram functionem exercendam, E. G. ad Missam celebrandam. Ratio est, quia hic labor ita est cum sacris functionibus conjunctus, ut absque eo praestari nullo modo possint; adeoque vendi nequeat, quin & actio spiritualis vendatur.

Quid si labor iste sit omnino extrinsecus, & extraordinarius: puta pro sollemniori Missae cantu, pro longiore itinere ad Missam celebrandam in loco dissito?

R. Licere pro his & similibus labori-

bus aliquid jure exigere, modo species turpis mercimonii vitetur. Ratio est, quia hic labor est actioni spirituali extrinsecus, per accidens conjunctus, & ab ea separabilis, & aliunde pretio aestimabilis.

Dico III. esse Simoniam vendere rem consequenter adnexam spirituali, ut est jus ecclesiasticos reditus percipiendi. Ratio est, quia hujusmodi res acquiri nequit, nisi ratione officii spiritualis; adeoque vendi nequit, nisi vendatur spirituale ei praesuppositum.

§. II.

De Simonia circa Sacramentorum administrationem, Celebrationem Missae, aliasque functiones.

Q. I. *Num sit Simonia aliquid accipere in administratione Sacramentorum, Missarum celebratione, aliisque sacris functionibus?*

R. Cum dist. Si temporale aliquod exigatur tanquam pretium rei sacrae, simonia est. Secus, si recipiatur ut stipendium sustentationis ministrorum secundum ordinem Ecclesiae, & consuetudinem approbatam *Cap.* Ad Apostolicam *de Sim.*

Prob. 1. pars. Sacramenta, sacrae functiones spiritualia sunt, & ad salutem spiritualem ordinantur; potestas ea administrandi spiritualis est. Item obligatio ad spi-

ſpiritualia praeſtanda ad ſpirituale ordinatur. Ergo ſimoniacum eſt aliquod temporale tanquam pretium pro ipſis exigere. *Cap.* Cum in Eccleſiae *de Sim.*

Prob. 2. pars. Omni jure, ſcilicet naturali, divino, & humano ſacris miniſtris temporalia ſubſidia debentur: *Dignus eſt enim Operarius cibo ſuo*, ait Chriſtus *Matth.* X. Ergo ſimoniaci non ſunt ſacri miniſtri, ſi in Sacramentorum adminiſtratione, Miſſarum celebratione, aliiſque ſacris functionibus titulo ſuſtentationis temporale aliquod gratis oblatum recipiant: imo etſi modeſte exigant quod pro his functionibus approbata conſuetudine taxatum eſt *Cap. XII. de Praebendis*.

Dixi, *ſi modeſte exigant*: nam ſacris miniſtris pro illorum ſuſtentatione alimenta debentur. At nullo modo licet res ſpirituales nundinari. Conferendi ſunt hîc Canones, ſeptimus Concilii Lateranenſis III. ſub *Alexandro III.* & quadrageſimus Concilii Lateranenſis IV. ſub *Innocentio III.*

Q. II. *Num Simonia mentalis ſit Miſſam celebrare, Horis Canonicis intereſſe, Sacra miniſtrare &c. principaliter mercedis temporalis intuitu?*

R. Affir. Quia Sacerdos, qui primario vult Miſſam celebrare, Choro intereſſe &c. mercedis temporalis intuitu, temporale emolumentum magis ducit, quam rem ſpiritualem: adeoque temporale eſt fi-

nis ipsius rei spiritualis, quod certe habet pretii rationem.

Secus si Sacerdos Missam celebraret &c. propter stipendium, tanquam propter finem secundarium. Haec docet *D. Thomas Quodl. VIII. art.* 11. dicens de Canonico Chorum adeunte propter distributiones: *Si hujusmodi distributiones recipit quasi finem suae operationis principaliter intentum, Simoniam committit. Si autem habet principalem finem Deum, ad hujusmodi autem distributiones respicit secundario, non tanquam in finem, sed sicut in id, quod est necessarium ad suam sustentationem; constat, quod non vendit actum spiritualem, & ita Simoniam non committit, nec peccat; sic enim acceptio distributionum non erit caussa, quare ad Ecclesiam vadat, sed proprie hujusmodi determinatio, quare nunc vadat, & non alia vice.*

Q. III. *Num Simonia sit, extremâ necessitate urgente, dare pecuniam ministro nolenti gratis Sacramentum conferre?*

R. Neg. Si detur non tanquam pretium rei sacrae, sed ad inflectendam iniqui ministri voluntatem, Sacramentum gratis conferre nolentis.

Q. IV. *Num sit Simonia docere Theologiam, vel sacram Scripturam in Scholis, pactis stipendiis?*

R. Neg. Ratio est, quia lectio Theologiae immediate dirigitur ad exercitandum in-

intellectum audientium. Secus dicendum de catechesi, vel concione, pro qua praecise aliquid accipere est simoniacum; cum pro fine habeant instructionem ad salutem animae immediate ordinatam; nisi sponte, & sine pacto offeratur. Dicit enim Christus Dominus *Matth. X. Euntes, praedicate, docentes . . . gratis accepistis, gratis date.*

Q. V. *An sit Simonia vendere, aut emere actus jurisdictionis potestatis ecclesiasticae?*

R. Affir. Quia ejusmodi actus spirituales sunt. Hinc Simonia est aliquid dare, vel exigere in pretium dispensationis voti, juramenti, matrimonii &c. quia dispensare est usus spiritualis potestatis.

Dices: Pro dispensationibus in impedimentis matrimonii concedendis Rom. Curia pecuniam exigit. Ergo vendi potest facultas dispensandi.

R. Hanc pecuniae exactionem non esse pretium dispensationis, sed poenam dispensatorum, utpote qui nolunt ferrea pati frena, frenis ducantur argenteis, ait *Pallavicinus in Historia Concilii Tridentini.*

Q. VI. *Utrum pro spiritualis actus omissione licitum sit aliquod accipere temporale absque Simonia?*

R. Cum dist. Si omissio actus spiritualis proficiscatur a spirituali potestate; ita ut illum non exercere sit moraliter ho-

minem auctoritative ligare, aut detinere, Simonia est. Secus, si omissio dependeat a libera arbitrii facultate, nullumque spiritualem effectum moraliter pariat.

Prior pars patet ex hoc, quod hujusmodi omissio aequivalet actui positivo, qui sine simonia vendi non potest. Hinc simoniacus est qui pecunia corruptus, in foro interiori negat alicui absolutionem a peccatis. Item si in foro exteriori negat absolutionem a censuris. Item examinator, qui promittit non approbaturum dignos ad Ordines propter datam sibi ab altero pecuniam. Ratio est, quia utrumque horum, videlicet absolvere & ligare, approbare & reprobatum declarare actus est ejusdem potestatis, & muneris.

Altera pars constat ex eo, quod simonia non committitur, nisi spirituale aliquod in commercium veniat. Sed haec omissio non est aliquod spirituale. Ergo in ea non committitur Simonia. Hinc qui daret alicui pecuniam, ut abstineret a Missa celebranda, Simoniacus non esset.

Q. VII. *Num Simonia sit vendere sepulturam?*

R. Cum dist. Si ematur fundus ad usum sepulturae sacrae, exemplo Abrahae qui emit speluncam duplicem in sepulturam Sarae *Gen.* XXIII. Simonia non est.

Si vero ematur pars coemeterii aut templi pro sepultura, Simonia est juris ecele-

clesiastici. Quia haec venditio legibus tum Ecclesiae, tum Imperatoriis prohibita est *cap. XLI. de Simonia*, & *leg. II.* & *IX. Cod. de Religiosis Domibus*.

Dixi, *Juris ecclesiastici*; quia pro jure naturali hujusmodi venditio licita est, cum in eo contractu non censeatur vendi, nisi materiale templi, coemeterii &c.

Si vero quis sibi suisque heredibus velit sepulturae locum ita proprium acquirere, ut deinceps aliorum fidelium corpora eo inferri nequeant, tunc non videtur esse prohibitum pro tali jure aliquid exigere; tum quia obligatio, quam in se suscipiunt qui Ecclesiae gerunt curam, ne alius eo loci tumuletur, videtur esse pretio aestimabilis; tum quia usus ubique receptus ita obtinet.

§. III.
De Simonia in ingressu Religionis.

Q. I. *Num Simonia sit aliquid tanquam pretium dare vel accipere pro ingressu Religionis, sive pro sacri habitus susceptione, vel Monastica Professione?*

R. Affir. Nam status Religionis est quid spirituale; cum de se ordinetur ad Dei cultum, & animae salutem ac perfectionem. Ergo illum vendere Simonia est, & quidem naturali jure prohibita.

Q. II. *An liceat aliquid exigere ab*

ingredientibus Monasteria titulo sustentationis?

R. Cum dist. Tempore Novitiatus licitum est pecuniam exigere pro victu, & vestitu Novitii: pro aliis temporibus subdistinguo: si Monasterium sit egens, licet; si vero sit opulentum, non licet & quidem jure humano. In Monasteriis tamen Monialium etiam opulentis usus invaluit, ut dos aliqua solvatur.

Prob. 1. pars. Id permittit Tridentinum *sess. XXV. cap. 16.* Ratio est, quia Novitii, cum non adhuc per Professionem sint membra Communitatis, non habent jus, ut alantur ex communibus Monasterii bonis.

Prob. 2. pars. Quia quando Monasterium est egens, temporale quod solvitur, non datur pro spirituali, sed pro temporali, nempe pro victu, & vestitu ingredientis: quod Monasterium dare non valet, nec debet cum gravamine aliorum, qui jus ad ea alimenta jam acquisierunt. *D. Thomas 2. 2. q. 100. art. 3. ad 4.*

Prob. 3. pars. Quando Monasterium est opulentum, quod solvitur, non videtur solvi pro novi candidati sustentatione, quam opulentum Monasterium praestare valet, sed pro ipsa Professione: & ideo Ecclesia variis canonibus, praesertim can. XIX. Concilii Nicaeni II. & can. LXIV. Concilii Lateranensis IV. graviter prohibuit, ne

ne quidquam exigatur ab eo, cui Monasterium necessaria ad victum subministrare valet, atque transgressores in Simoniacorum classem retulit.

Dixi, *jure humano*. Onus enim personam religiosam alendi temporale est, & pretio aestimabile. Ergo quidquid pro eo onere exigitur, simoniacum jure divino non est.

Prob. 4. pars. Sanctimonialium Monasteria, etsi opulenta, variis infortuniis obnoxia sunt, quae novarum dotium accessione sunt reparanda. Ergo mirum non est, si cessante venditionis praesumtione, usus invaluerit dotale subsidium exigendi a puellis Monasterium ingredientibus, etsi ea opulenta sint.

Idem confirmatur ex variis sacrae Congregationis decretis, relatis a *Benedicto XIV.* in Opere *de Synodo Dioecesana lib. XI. cap. 6.*

§. IV.
De Simonia in collatione Ecclesiastici Beneficii.

Nota, duo jura in beneficiis includi: unum spirituale, seu jus spiritualia administrandi, & dicitur *officium*; alterum temporale, seu jus percipiendi reditus, & dicitur *praebenda*, seu *beneficium*.

Q. I. *An sit Simoniacum emere, vel*

vendere ecclesiasticum beneficium?

R. Affir. Assertio constat ex toto Titulo Decretalium *de Simonia*, aliisque juribus.

Hoc autem intelligendum est non solum quoad jus administrandi spiritualia, verum etiam quoad jus redituum in officio spirituali fundatum. Nam cum beneficium, seu praebenda detur propter officium, *qui horum alterum vendit, sine quo alterum non provenit, nihil invenditum relinquit*, juxta regulam *Paschalis Papae* I. relatam in *cap.* Si quis, *Caus.* 1. *q.* 3.

Verum disputatur inter Doctores, an venditio beneficii, prout dicit jus ad temporalia, sit Simonia juris divini. Communiter negant Canonistae, quia reditus & commoda spiritualibus functionibus addicta, sunt quid temporale; adeoque non sunt materia Simoniae juris divini. Recte tamen ab Ecclesia prohibita est hujusmodi venditio; tum quia sacrilegii species est nundinari in reditibus sacro ministerio dedicatis; tum ob periculum, ne cum emolumento temporali vendatur officium spirituale, juxta regulam Pontificis superius allatam.

Potest tamen Beneficiarius locare, vendere, permutare fructus beneficii, quia hi distincti sunt a jure eos percipiendi.

Ex dictis colliges, Simoniam esse, fatentibus omnibus, dare vel accipere ali-

aliquid pretio aestimabile pro collatione, electione, praesentatione ad beneficium, & generaliter pro quacunque actione, qua jus etiam incohatum ad illud acquiritur.

Item colliges, Simoniam esse, dare aliquid intercessori sive mediato, sive immediato, ut apud collatorem intercedat ad obtinendum beneficium. Quia in *Extravaganti II. de Simonia* dicitur, *Simoniam committi, cum pecunia datur pro collatione . . . favore, seu mediatione*. Idem docuit *S. Thomas* 2. 2. *q.* 110. *art.* 2. *ad* 5. dicens, simoniacum esse, qui viam sibi pecunia parat ad beneficium.

Q. II. *An pecuniae acceptio pro beneficii collatione sit contra justitiam?*

R. Affir. Et contrariam opinionem damnavit *Alexander VII.* hac prop. 22. *Non est contra justitiam beneficia non conferre gratis; quia Collator conferens illa beneficia ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod conferre non tenebatur*. Ratio est, quia collator beneficii tenetur gratis illud conferre, quantum quantum est.

§. V.
De Simonia circa permutationes & resignationes Beneficiorum.

Q. I. *An sit Simonia permutare res spirituales pro aliis spiritualibus?*

R. Neg. exceptis beneficiis: quia nulla est per se irreverentia, si res sacra cum alia permutetur, nullo interveniente pretio, cum utraque sit ejusdem ordinis. Quare licitum est, pacisci mutuas preces, sacrificia. Item Reliquiam alteri tradere ea conventione, ut alia tibi tradatur. Cave tamen, ne hujusmodi permutatio fiat ob pretiosiorem materiam.

Q. II. *An beneficia permutari possint absque Simonia?*

R. Neg. Nisi permutatio fiat auctoritate superioris. Quia id vetitum est, ut patet ex *cap. V. de Rerum Permutat.* aliisque Juribus. Ratio prohibitionis est, ne hujusmodi permutationes intuitu fiant temporalium redituum, qui adnexi sunt titulis spiritualibus.

Nota, hac lege aeque prohiberi beneficiorum permutationes, ac permutationes actionum, quae ad beneficiorum provisiones pertinent. Ut si quis dicat, elige hunc, & ego eligam ad tui nutum alium &c.

Dixi, *nisi permutatio fiat auctoritate superioris*, qui sua auctoritate & consilio omnem

omnem mercimonii suspicionem ab hujusmodi pactionibus removere valet.

Porro Superior, coram quo facienda est permutatio, est Episcopus loci, in quo situm est beneficium.

Nota, eam permutationem ab Episcopo fieri posse, quae sit beneficii cum beneficio, & quae pure fiat. Quare permutatio beneficii cum pensione, vel cum pacto, ut alter permutantium solus omnes solvat expensas, quae ad utrumque pertinent, non valet, nisi accedat auctoritas Papae.

Q. III. *Quandonam committatur Simonia in beneficii resignatione?*

Nota. Resignare beneficium est illud voluntarie dimittere.

R. Quando sine auctoritate Papae resignatio non fit pure, & absolute, sed ei adjicitur conditio, onus, pactum, quod de jure non inest beneficio. Ratio est, quia omnis pactio omnisque conventio in beneficiis privata auctoritate facta, est prohibita *cap.* ult. *de Pactis*.

Hinc Simonia est, I. si resignatio fiat reciproce, etsi coram Episcopo. E.G. Ego resigno beneficium tuo amico, & tu tuum meo nepoti.

II. Si fiat resignatio triangularis, aut quadrangularis. E. G. Ego resigno beneficium meum Cajo, Cajus suum Titio, & Titius suum mihi.

III. Si resignatio fiat cum pacto, ut tibi solvatur pensio. IV.

IV. Resignatio facta in favorem certae personae; quae quidem resignatio prohibita est ad tollendam omnem speciem hereditatis in beneficiis.

V. Si quis beneficium litigiosum, & non sine pluribus expensis acquisitum, & tandem pacifice possessum, resignet cum pacto, ut resignatarius solvat expensas. Hujusmodi enim expensarum solutio habet rationem pretii pro beneficii adeptione.

Dixi, *sine auctoritate Papae*. Nam cum hae conventiones prohibitae sint jure humano, accedente Rom. Pontificis auctoritate, fiunt licitae.

Q. IV. *An in materia beneficiali licita sit transactio, propria auctoritate?*

R. Neg. ex *cap.* Cum quidem *de Pactis*. Nam ut toties dictum est, omnis pactio in materia beneficiaria, si fiat privata auctoritate, simoniaca est.

Hinc si quis ad litem dirimendam paciscatur, ut alter beneficium E.G. dubium pacifice possideat, alteri vero aliquid solvatur, si id fiat privata litigantium auctoritate, est simoniacum. Secus vero, si hoc fieret coram Episcopo ex *cap.* Nisi esset *de Praebendis*: quo casu Episcopus posset etiam pensionem imponere ob bonum pacis, licet ob alias caussas non posset.

Q. V. *An sit simoniacum, pensionem emere, vel redimere?*

No-

Nota I. Pensio est jus percipiendi fructus ex alieno beneficio.

Nota II. Triplex distinguitur pensio; laicalis, clericalis, & mixta.

Laicalis indiscriminatim conferri potest & laicis, & clericis; quia Ordinem non supponit, neque ad aliquod spirituale ordinatur. Ut pensio, quae datur patrono, defensori Ecclesiae &c.

Clericalis in accipiente supponit Ordines, & ad functiones spirituales ordinatur. Ut quae datur concionatori, Coadjutori Episcopi, Parocho &c.

Mixta seu media est, quae in accipiente Ordinem supponit, & datur titulo prorsus temporali. Haec quadruplex est, quae non datur in beneficii titulum, sed pro beneficio.

I. Datur Clerico pauperi in alimentum.

II. Parocho seni impotenti.

III. Resignanti beneficium pacifice possessum.

IV. Uni litigantium circa beneficium ob bonum pacis. His praemissis, ad quaesitum

R. I. Emere, vel redimere pensionem clericalem est Simonia. Ita omnes: nam datur ad spirituales functiones.

R. II. Idem dicendum de pensione mixta; quia ex Bulla *Pii V.* adnexa est titulo spirituali, nempe recitationi Officii B.M. Virginis. Unde absque consensu Papae

pae nec vendi, nec redimi poteſt.

Nota. Redimere penſionem eſt, cum Beneficiarius numerat penſionario reditum trium, quatuor, aut amplius annorum, habita ratione aetatis &c.

Q. VI. *An liceat emere, vel vendere jus patronatus?*

Nota. Jus Patronatus eſt poteſtas praeſentandi vel nominandi certam perſonam ad beneficium. Haec autem poteſtas conceditur ab Eccleſia ei, qui beneficium fundavit, Eccleſiam aut Capellam aedificavit, aut dotavit cum conſenſu Epiſcopi Dioeceſani ex Tridentino *ſeſſ. XIV. cap.* 2. Hinc illud effatum: Patronum faciunt dos, aedificatio, fundus.

R. Neg. ex *cap.* Praeterea *de jure patronatus.*

Diſputatur, an haec venditio ſit Simonia de jure divino. Affirmant alii, quia eſt quoddam ſpirituale non minus, quam jus eligendi ad beneficium. Negant alii, quia tale jus eſt quid temporale, cum ſit temporalis favor ab Eccleſia conceſſus.

At ſi Jus Patronatus adnexum ſit fundo, vendi poteſt ratione rei, cui haeret; dummodo fundus pluris non vendatur ratione juris patronatus.

Q. VII. *An, & quomodo liceat redimere vexationem in beneficiis?*

Nota. Redimere vexationem in beneficiis eſt adverſantium obſtacula, puta calu-

lumniarum, accusationum &c. per pecuniam removere.

R. Cum dist. Vexatio vel est contra jus acquisitum in beneficio, vel contra jus acquirendum ad beneficium.

Si primum, licet redimere vexationem; quia ille, qui in hac hypothesi vexationem redimit, pecuniam non tradit, neque tradere potest pro re spirituali, quam jam habet; sed pro injuria repellenda, quam injuste patitur.

Porro jus acquisitum in beneficio, seu ut alio nomine vocatur, *jus in re*, habetur per simplicem collationem, & acceptationem beneficii ante captam possessionem.

Id etiam licet confirmato, vel instituto, qui injuste impeditur a capienda possessione, quia per hoc nihil spirituale emitur; cum possessio praecise sumta, non sit quoddam spirituale, supposito titulo.

Si alterum, subdistinguo: vel vexatio intendatur ab eo, qui obesse valet, sed non prodesse seu juvare; vel ab eo, qui obesse, & prodesse potest.

Si primum, absque Simoniae labe licet redimere vexationem; quia per pecuniam duntaxat removentur exteriora injusta obstacula calumniarum, & accusationum.

Si secundum, redimere hanc vexationem Simonia est; quia tunc pecuniâ aperitur via ad beneficium obtinendum.

Obesse autem, & prodesse possunt electo-

ctores, collatores, & omnes illi, qui aliquo modo habent partem ad beneficium conferendum. Tantum vero obesse seu impedire possunt privati, qui nullam partem habent in conferendo beneficio; sed duntaxat objicere impedimenta valent, calumniando, accusando &c. ne concurrenti beneficium conferatur.

Hinc qui dat pecuniam electori, ne contradicat, Simoniacus est; quia pecuniâ influit in electionem; adeoque pecunia sibi viam parat ad beneficium. Secus, quando pecunia datur privato vexatori, qui nullam opem conferre potest, sed tantum impedire, adeoque nihil spirituale ab eo emitur, sed tantum remotio impedimenti.

Insuper notandum I. vexationem injustam esse oportere, ut possit in adductis casibus redimi. Hinc non licet dare alteri pecuniam, ne defectum tuum collatori detegat, ne pro alio obsecret, ne habens jus utcunque probabile litem moveat, vel motam prosequatur, ne doctior ad concursum cum aliis conveniat.

II. Non licere ad injustam vexationem redimendam dare aliquod spirituale, vel quasi spirituale, puta dare alteri beneficium, ne te injuste impediat ab assecutione beneficii pinguioris; quia daretur spirituale pro temporali, hoc est pro tollenda vexatione injusta.

CAP.

CAP. III.

De Poenis in Simoniacos latis.

Q. I. Quaenam *sint poenae contra Simoniacos latae?*

R. Excommunicatio Papae reservata, nullitas actus simoniaci, & onus restituendi accepta per Simoniam.

Q. II. *An omnes Simoniae species canonicis poenis obnoxiae sint?*

R. Neg. Sed duae tantum, scilicet Simonia realis, & haec a manu, & Simonia confidentialis.

Dixi, *Simonia realis*. Nam 1. ob Simoniam mentalem nulla incurritur poena canonica, sed *sufficit delinquentibus per solam poenitentiam suo satisfacere Creatori*, ut ait *Gregorius IV. cap. XLVI. de Sim.*

2. Ob Simoniam pure conventionalem, & conventionalem mixtam, excepta confidentiali, de qua infra, nulla etiam incurritur canonica poena: quia poenae impositae pro aliquo actu intelliguntur de actu perfecte completo, & omni ex parte exterius cum effectu consummato, nisi lex aliud clare exprimat: cum ex regula Juris, odia sint restringenda. Praeterea multi testantur, hanc esse praxim Curiae, & Poeni-

nitentiariae Romanae.

Q. III. *Quibus in casibus incurrantur poenae latae contra Simoniacos?*

R. Triplici in casu, in Ingressu Religionis, in Ordine, & Beneficiis. De his triplici paragrapho agendum est.

§. I.
De Simoniae Poenis ob Ingressum in Religionem contractis.

Q. *Quot sint poenae Simoniae latae pro ingressu Religionis?*

R. Sunt tres. I. Est excommunicatio Papae reservata, quam ipso facto incurrunt omnes, & singuli sive dantes, sive recipientes. *Extravag.* Sane *de Simonia.*

II. Suspensio ab officiis capitularibus in Conventu Papae reservata, si actui capitulari consenserit, ead. *Extravag.*

III. Simoniacus scienter professus, licet valida sit ejus professio, debet tamen in artius Monasterium detrudi, sed post judicis sententiam.

§. II.
De Simoniae Poenis in Ordinatione commissae.

Q. *Quot sint poenae Simoniae in Ordinatione commissae?*

R. Sunt I. Excommunicatio Papae reser-

ſervata , quam ipſo facto incurrunt tum Ordinans, tum Ordinatus, tum qui ad conferendum Ordinem mediator eſt. *Extravag.* Cum deteſtabile *de Simonia*.

II. Si ſcienter ſit ordinatus, ab exercitio omnium Ordinum, etiam eorum, quos legitime ſuſcepit, ſuſpenſus remanet : ſi vero facti inſcius, alterius ope ſimoniace ordinatus ſit, ſecundum *D. Thomam* non poteſt ſine diſpenſatione Ordines exercere. Sed hoc negant ; quia ſuſpenſio poenalis eſt, adeoque ſine culpa incurri nequit.

III. Simoniacus Ordinator ſuſpenſus eſt a collatione omnium Ordinum per triennium ex *Cap.* XLV. *de Sim.* Ex Bulla vero *Xyſti V.* quae incipit, *Sanctum & ſalutare* ſuſpenſus eſt a quorumcunque Ordinum collatione, etiam Tonſurae, & interdictus eſt ab ingreſſu Eccleſiae.

§. III.

De Poenis Simoniae in Beneficiis commiſſae.

Q. I. *Quot ſint Simoniae poenae in beneficiis commiſſae?*

R. Eſt I. Excommunicatio Papae reſervata, quam ipſo facto incurrunt qui beneficium ſimoniace ſuſceperunt, contulerunt, aut quovis modo procurarunt. *Extravag.* Cum deteſtabile *de Simonia*.

II. Irrita eſt, ac nulla ſimoniaca electio, praeſentatio, collatio, nullumque jus

tri-

tribuit: ita ut provisus etiam occultus, fructus non faciat suos, & teneatur in conscientia tum illos, tum beneficium restituere.

III. Qui hoc modo electus aut provisus est, inhabilis fit ad idem beneficium, neque potest illud etiam Episcopi dispensatione obtinere, *cap.* Nobis fuit *de Sim.* & *Cap.* penul. *de Electione*.

Excipitur, si beneficium simplex sit, & ipso ignorante, nec ratum habente, Simonia commissa sit: tunc enim post liberam resignationem potest Episcopus dispensare.

Nota, ex communi sententia has poenas etiam extendi ad permutationes beneficii propria auctoritate: nam ii in jure dicuntur Simoniaci, & vere committunt Simoniam Juris ecclesiastici. Item extendi ad Simoniam realem commissam in Praelaturis Regularium, ut sunt Priores, Guardiani, Rectores, Provinciales &c. quia sunt officia jurisdictionem spiritualem habentia; idque clare colligitur ab *Extravag.* Cum detestabile *de Sim.*

Q. II. *Quaenam sint poenae Simoniae Confidentiae?*

R. Hae poenae ex Bulla LXXXV. *Pii IV.* & Bulla LXXXV. *Pii V.* nimirum

I. Excommunicatio Papae reservata contra utrumque contrahentem, si sint inferiores Episcopis: nam hi incurrunt solum interdictum ab ingressu Ecclesiae.

II.

II. Privatio beneficii, in quo facta est simonia, & quidem ante judicis sententiam, cum ejus collatio nulla sit.

III. Privatio reliquorum beneficiorum, ac pensionum.

IV. Inhabilitas ad idem beneficium, & ad alia beneficia.

V. Ad has poenas subeundas sufficit, si beneficium datum sit, ac receptum, quamvis accipiens promissum nondum impleverit; idest vel promissum pretium solverit, vel beneficium alteri resignaverit, vel pensionem solverit, aut fructus beneficii ab aliis percipi permiserit.

Imo has poenas incurrit beneficium recipiens, qui novit dantis animum confidentialem, quamvis recipiat sine tali animo, ut significant haec verba *Pii V. Etiamsi sola dimittentis intentione receperit*.

Q. III. *Num si commissa sit Simonia a tertia persona, inscio promoto ad beneficium, obnoxius is sit simoniae poenis?*

R. Cum dist. Quoad Ecclesiasticas censuras neg. Quia sic promotus, cum sit immunis a culpa propter ignorantiam, immunis quoque est a poena.

Quoad nullitatem vero actus, affir. Ratio est, quia ignorantia etsi excuset a culpa, non tamen excusat ab invaliditate actus.

Hinc sic promotus, sciens suam simoniacam promotionem, tenetur beneficium,

cium, quod eſt conſecutus, reſignare cum fructibus exſtantibus ; non autem tenetur reſtituere fructus bona fide conſumtos, niſi forte ex his ditior factus ſit.

Excipiuntur aliqui caſus, in quibus beneficii ſimoniace collati valida eſt proviſio.

I. Qui ignoranter beneficium ſimoniace recepit, & triennali poſſeſſione bona fide illud tenuit, nequit eodem privari juxta multos.

II. Si provehendus ſuſpicans de Simonia agi, expreſſe contradicat, & prohibeat, ne pro nominatione ſua aliquid tribuatur, valida eſt proviſio. Modo pactum ſimoniacum ratum non habeat, ſolvendo quod fuit promiſſum, *Cap. XXXIII. de Sim.*

III. Si commiſſa ſit ſimonia in odium promoti, puta ſi inimicus det pecuniam collatori, ut collationem irritam reddat, faciendo eam ſimoniacam, *cap.* XXVII. eod. *tit.*

Q. IV. *An pretium per simoniam acceptum, reſtitui debeat, & cui?*

R. Ad I. Affir. Quia acceptum per Simoniam poſſidetur ſine juſto titulo, cum poſſideatur per pactionem ſimoniacam, quae nulla eſt.

R. Ad II. Pecunia accepta in ſimoniaca collatione beneficii eccleſiaſtici reſtituenda eſt Eccleſiae ejuſdem beneficii, ex *Cap. XI. de Sim.*

Ex-

Extra materiam beneficiariam pretium ſimoniacum reſtituendum eſt illud tradenti. Ratio eſt, quia jure naturae reſtitutio facienda eſt proprio domino, niſi lex aut ſententia judicis in poenam commiſſi criminis id vetet. Atqui ſimoniacae pecuniae dator & dominium illius adhuc detinet, & nulla lex prohibet, quin ſibi reddatur. Ergo &c.

Nota. Simonia commiſſa in venditione quorumdam officiorum, ut ſunt Vicariae amovibiles, Capellaniae non collativae, penſiones &c. eccleſiaſticis cenſuris in jure non plectitur, cum proprie haec poena lata ſit contra ſimoniam in beneficiis, & haec beneficia proprie non ſint.

Q. V. *Quinam a poenis contra Simoniacos latis abſolvere, & diſpenſare valeat?*

R. Quoad cenſuras ſolus Papa valet eas abſolvere, niſi ſint occultae; quia tunc poteſt etiam ab illis abſolvere Epiſcopus ex *Cap.* liceat *6. Seſſ. XXIV.* Concilii Tridentini.

Quoad inhabilitatem vero beneficii ſimoniace acquiſiti, & ad fructuum perceptorum condonationem ſimiliter Papa ſolus diſpenſare valet: neque in hoc poſſunt aliquid Epiſcopi, etſi crimen ſit occultum. Nam eorum facultas per Tridentinum complectitur tantum abſolutionem a cenſuris, &

& dispensationem ab irregularitatibus occultis.

Excipe beneficium simplex simoniace collatum, ignorante beneficiario, de quo supra dictum est.

INDEX

Damnatarum Thesium in materia Simoniae.

EX *Alexandro VII.* Propositio 22. *Non est contra justitiam beneficia ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia ecclesiastica, pecuniâ interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod sibi conferre non tenebatur.*

Ex *Innocentio XI.* Propositio 45. *Dare temporale pro spirituali, non est Simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi vel efficiendi spirituale, etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut contra.*

Ex Eodem Propositio 46. *Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale: imo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris aestimetur, quam res spiritualis.*

TRA-

TRACTATUS
DE CENSURIS, ET IRREGULARITATIBUS.

CAP. I.

De Censuris in Communi.

§. I.

Quid, & quotuplex sit Censura.

Q. I. QUid sit Censura?
R. Censura est *poena spiritualis, & medicinalis, qua homini baptizato delinquenti, ac contumaci quorumdam spiritualium bonorum usus aufertur ab Ecclesia, donec a contumacia recedat.*

Prob. ac simul explicatur definitio. Censura dicitur 1. *poena*, quia supponit culpam.

2. *Spiritualis*, ob bona spiritualia, quibus privat. Quod si aliquando, ut in excommunicatione, privat etiam bono aliquo temporali, puta conversatione cum fidelibus, id tantum fit secundario, & quatenus ordinatur ad bonum spirituale.

3. *Medicinalis*, quia praeter punitionem, ad Rei emendationem infligitur.

4. *Qua homini baptizato*, quia Ecclesia in solos fideles baptizatos suam potestatem jure exercere valet.

5. *Delinquenti*, *& contumaci*: Censurae enim non feruntur, nisi in delinquentes, & contumaces, ut ad obsequium Ecclesiae revertantur.

6. *Quorumdam spiritualium bonorum*; eorum nempe, quorum dispensatio Ecclesiae commissa est; ut sunt publica suffragia, Sacramenta, sacrificia &c. Non vero auferuntur bona illa, quae dicuntur proprie, & mere interna; ut character, potestas ordinis, gratia, aliaeve virtutes infusae, quae cum Censura componi possunt.

7. *Usus aufertur*. Bona enim spiritualia auferri possunt vel quoad usum, ut in suspensione, & interdicto; vel quoad jus, ut in excommunicatione; vel demum quoad rem ipsam, vel ejus usum, ut in depositione, & degradatione, quae de se in perpetuum privant; vel reipsa, vel ejus usu, E.G. exercitio sacrarum functionum.

8. Denique illae particulae, *donec a contumacia recedat*, denotant Censuram intentione Ecclesiae perpetuam non esse, cum reus statim ac resipuerit, a superiore absolvi debeat. Hinc differt a depositione, & degradatione, quae sunt poenae mere vindicativae.

Q. II. *Quotuplex sit Censura?*

R. Est triplex, scilicet *Excommunicatio*, *Suspensio*, & *Interdictum* ex *Cap.* Quaerenti, *de Verbor. significat.* ubi *Innocentius III.* interrogatus de Censuris, illas tantum tres species enumeravit.

Hinc colliges 1. irregularitatem etiam ex delicto, depositionem, & degradationem inter Censuras non computari; cum non sint poenae medicinales, quae post emendationem delinquentis auferri debeant, sed naturâ suâ perpetuae sunt, quae non auferuntur, nisi per solam dispensationem. 2. Concessa facultate absolvendi a Censuris, non intelligi concessam facultatem dispensandi ab Irregularitatibus, nisi exprimatur, cum sint facultates diversae.

Dividitur haec Censura I. in eam quae est *a jure*, & in eam quae est *ab homine*. Illa fertur per modum legis, seu statuti generalis ac perpetui, quae durat usque dum lex abrogetur: ut sunt Censurae Conciliorum decretis latae, & in Jure Canonico scriptae. Haec vero per modum praecepti fertur ab aliquo singulari superiore, & eo mortuo, vel jurisdictione privato, corruit, si non est contracta; si vero est contracta, durat etiam, ablata vel suspensa superioris jurisdictione, donec obtineatur absolutio. Praeterea Censura a jure semper generalis est; quae vero est ab homine, potest esse vel generalis, vel par-

ticularis, seu lata contra aliquas personas determinatas. Addunt & tertium discrimen inter utramque Censuram, quod nimirum Censura a jure non intelligitur reservata, nisi in Canone exprimatur: ea vero quae ab homine est, praesertim per sententiam particularem, semper intelligitur reservata; sed de hoc alias.

Dividitur II. in Censuram *latae*, & *ferendae sententiae*: prior ipso facto seu criminis commissione ante judicis sententiam ligat: posterior non ipso facto incurritur, sed post peccatum commissum per judicis sententiam infligi debet. Regula utriusque discernendae haec est. Si Censura exprimatur per verba temporis praeteriti vel praesentis, est latae sententiae; si vero per verba temporis futuri, est ferendae sententiae; nisi significetur futurum instantaneum.

Hinc resolves latae sententiae Censuram reputari, si superior dicat: *Qui hoc fecerit, noverit se esse excommunicatum, vel excommunicationem incurrisse*; quia haec verba indicant tempus praeteritum. Item si dicat: *Excommunicantur, suspenduntur, interdicuntur*; quia hae voces denotant tempus praesens. Item si dicat: *Subjaceat excommunicationi, incidat in excommunicationem, maneat suspensus*; quia hae formulae imperativi modi non diriguntur ad judicem, nec ejus actionem requirunt.

Con-

Contra ferendae sententiae esse censuram, si superior his verbis utatur: *Excommunicabitur*, *suspendetur* &c. quia sunt voces futuri temporis. At si verbis etiam de futuro, quibus exprimitur Censura, addatur una ex his particulis, *ipso facto*, *ipso jure*, *ex tunc*, *mox*, *protinus*, *continuo*, *confestim* &c. latae sententiae erit Censura; quia hae particulae clare indicant ad incurrendam Censuram nullum exigi judicis officium. In dubio autem, an Censura sit latae, vel ferendae sententiae, censenda est ferendae; quia in poenalibus dubium benigne est interpretandum. Denique an haec formula, *anathema sit*, latae sententiae Censuram contineat, disputant Theologi: communiter docent esse latae, praesertim si sit contra haeresim.

Ignota ea distinctio latae ac ferendae sententiae fuisse Veteribus in antiquo jure videtur *Gersoni*, *Espenio*, *Florentio*, aliisque, qui Censuras omnes olim nonnisi ferendae sententiae putant: quas nimirum, constito crimine, Pastorum judicio lato subirent Rei; non constito crimine, poena quidem imminebat, non tamen ferebatur. Addit *Gerson* id discriminis inter latae ac ferendae sententiae, quod ea statim percellerentur, qui summarie convictus, vel confessus in judicio fuerit: ad alteram vero praecedere potestas judicialis cum omni juris sollemnitate deberet.

Potius illa usitata Veteribus distinctio erat Excommunicationis medicinalis, ac mortalis: illâ poenitentes, hac pertinaces & obfirmati plectebantur. Sed de singulis infra ad calcem.

Dividitur III. in Censuram *justam*, & *injustam*. *Justa* dicitur ea, quae fertur secundum leges, ac formas juris praescriptas. *Injusta*, cui haec desunt, vel quae sinistra fertur intentione.

Q. III. *An omnis Censura injusta, sit etiam nulla?*

R. Cum dist. Si Censura sit, ut loquitur *D.Th.in IV.dist.*1.*art.*1. *injusta ex parte excommunicantis, qui E. G. ex ira, vel odio excommunicat; aut sine necessitate accidentalem juris ordinem praetermittit, valida est, habet effectum suum, & vere ligat*. Hinc qui in eo statu actum sacri Ordinis exercet, poenas Canonum incurrit, & irregularis efficitur; ut communis omnium consensus testatur, neque hac de re dubium esse potest, ait *Savrus lib.* 10. *cap.* 17. *num.* 5. De hac injusta Censura, quae tamen valet, intelligenda est praeclara haec *Gregorii Magni* sententia *hom. 6. in Evangelium: Sententia pastoris sive justa, sive injusta timenda est*.

Si vero Censura sit injusta defectu caussae sufficientis ex parte excommunicati; vel quia falso supponitur reus criminis, quod Censuris castigatur; vel quia Censura la-

lata est, non servatis essentialibus formulis a jure praescriptis; tunc Censura nulla est. Quia sicuti caussa est tantum apparens, ita & Censura: nec potest, nec vult Ecclesia punire innocentes. Hinc communiter contra *Navarrum* docent, innocentem, contra quem lata fuit injusta Censura, ex suppositione nimirum falsi criminis, licite posse privatim, & secluso scandalo, actus, quibus prohibitus est, exercere. Secus publice, & cum scandalo in legitimi superioris contemtum, ob quem mereretur justâ percelli Censurâ.

§. II.
De Censurarum Latore, & Subjecto.

Nota I. Potestatem infligendi Censuras a *Wiclepho* impetitam Concilium Constantiense *sess. VIII. & IX.* Ecclesiae vindicavit. Eadem Ecclesiae facultas agnoscitur in Trid. *sess. XXV. cap.* 3. ubi *nervus ecclesiasticae disciplinae*, & *ensis*, ac *gladius* Ecclesiae appellatur.

Nota II. Certum est potestatem ferendi Censuras immediate a Christo Domino originem habere, ut colligitur ex verbis ipsius Christi *Matth. XVIII. Quaecunque ligaveritis super terram, erunt ligata & in Coelo*: ubi Ecclesiae Praelatis Apostolorum successoribus datur omnis potestas expediens ad bonum animarum, & rectum Ecclesiae re-

regimen, ad quod pertinet potestas non solum ferendi leges; verum etiam delinquentes, ac contumaces puniendi, ac coërcendi, privando eos communibus Ecclesiae bonis.

Nota III. Quamvis haec facultas infligendi Censuras, seu spiritualibus poenis coërcendi Ecclesiae rebelles immediate a Christo sit; ipsa tamen Censurarum institutio quoad species, & formam est humana; quia nusquam legimus Censuram aliquam per se, & immediate esse a Christo institutam.

Hinc recte colligimus 1. nullum esse peccatum, cui jure divino adnexa sit Censura. 2. Censuram quoad formam & species esse mutationi obnoxiam. Sed nullus praeter Romanum Pontificem potest in jam obfirmata Censurarum disciplina aliquid immutare ex *Cap.* Pastorali, *de Clerico excommun. ministrante*. His positis, videndum nunc, quinam in Ecclesia facultatem habeant infligendi Censuras.

Prop. I.

Omnis, & solus superior ecclesiasticus habens in foro externo jurisdictionem ordinariam, vel delegatam potest ferre Censuras.

Prob. ex verbis Christi Domini supra adductis: *Quaecumque ligaveritis* &c. ut & ex iis aliis paulo ante a Christo prolatis: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus*: id est segregatus ab

ab omni commercio fidelium, & ſuffragiorum participatione privatus; quemadmodum infidelis ab omni commercio cum Chriſtianis in rebus eccleſiaſticis ſejunctus eſt. Unde ſic: haec verba, quae poteſtatem infligendi Cenſuras adſtruunt, eam exteriori Eccleſiae foro attribuunt. Ergo hi tantum Cenſuras ferre valent, qui exteriori Eccleſiae foro praeſunt. Antecedens prob. Agitur hîc de poena ſpirituali, quae contumacem delinquentem ligat, ſed non niſi poſt factam Eccleſiae denunciationem, & quae ita ſit publica, ut qui eam incurrerit, ut publicanus ſit habendus. Atqui poena ſpiritualis, quae denunciationem Eccleſiae requirit, & publica eſt, nonniſi in exteriori foro intelligi poteſt. Ergo hi tantum, qui juriſdictione ordinaria, vel delegata huic foro Eccleſiae praeſunt, eam ferre poſſunt.

Poteſtatem autem ferendi jure ordinario Cenſuras reſpectu univerſae Eccleſiae habet ſummus Pontifex, & Concilium generale: Epiſcopus in ſubditos propriae dioeceſis: Concilium provinciale in ſuam provinciam. Item Praelati Regulares hanc poteſtatem habent juxta cujuſque ordinis leges, & conſuetudines. At Parochis haec facultas communiter denegatur.

Delegatam habent omnes, & ſoli Clerici, quibus fuit legitime conceſſa ab habente ordinariam. Docent plures, Summum Pon-

tificem posse potestatem ferendi Censuras conferre homini laico, non vero feminae, quae est omnino incapax ecclesiasticae jurisdictionis, adeoque Censurae ferendae.

Nota. Ecclesiae Praelati eo jure Censuras ferre possunt, quo jure subditis praesunt. Hinc Rom. Pontifex, Concilium generale, Episcopi, qui jure divino praesunt, eodem jure Censuris ligare valent. Eis vero qui ecclesiastico tantum jure habent jurisdictionem, jure solum ecclesiastico convenit potestas ferendi Censuras in eos, quos ipsis Ecclesia subjecit.

Q. *Quinam a Censuris absolvere valeant?*

R. Quilibet Sacerdos approbatus potest a Censuris absolvere. Ita communiter ex *Cap.* Nuper, *de sententia excommunicationis:* ubi *Innocentius III.* ait, quia *conditor Canonis ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, ex ipso concessisse videtur aliis facultatem relaxandi*. Confer huc dicenda in *Tract. de Poenitentia* de facultate absolvendi a reservatis.

Nota. A Censura ab homine lata per sententiam particularem contra determinatam personam ille tantum absolvere potest a quo fertur, vel superior, vel delegatus. Secus de Censuris latis ab homine per modum sententiae generalis: puta si dicatur, *sint excommunicati, qui tale delictum commiserint* &c. non determinando personas; pos-

possunt absolvi a quolibet Confessario, nisi sint reservatae. Quia hujusmodi Censurae se habent ad modum Censurae latae a jure, nullo alio discrimine habito, nisi quod latae cessant morte superioris illas infligentis.

Prop. II.

Censurae subjectum est quilibet homo viator, qui fuerit baptismate initiatus, subditus, ac doli capax.

Prob. 1. pars. Censurae subjectum est *quilibet homo viator*. Nam cum Censura feratur ad resipiscentiam, ejusdem non potest esse capax, nisi homo viator. Hinc sequitur 1. Censuris non subjici daemones, utpote resipiscentiae incapaces: 2. Bruta, utpote nequaquam libera: 3. mortuos, utpote incapaces emendationis, & Ecclesiae foro non amplius subjectos. Hinc contra daemones, & animalia nociva Ecclesia exorcismis, non vero censuris uti consuevit. Mortui vero aliquando in Ecclesia excommunicantur, sed non proprie & directe, sed indirecte; quatenus prohibentur fideles, ne eos in loco sacro sepeliant, nec pro iisdem suffragia offerant.

Prob. 2. pars; ut *sit baptizatus*. Nam qui sunt extra Ecclesiam, ejusdem legibus non sunt subjecti. Ecclesia enim *non judicat de iis, qui foris sunt I. ad Cor.V.* Hinc Censurae ferri nequeunt in Catechumenos, & multo magis in Judaeos, & infide-

fideles, qui per baptismi januam in Ecclesiam non sunt ingressi: secus in haereticos, qui ab Ecclesia pendent propter baptismum.

Prob. 3. pars, ut *sit subditus*. Potestas ferendi censuras est actus jurisdictionis. Atqui ejusmodi actus non sunt capaces, nisi subditi; cum subjectio, & jurisdictio sint correlativae. Ergo &c.

Hinc I. exemti a jurisdictione Ordinarii per privilegium a Papa concessum, ut sunt Regulares exemti, Censuras non incurrunt in casibus, in quibus exemti sunt. Secus vero in casibus, in quibus Episcopali potestati subjiciuntur; ut si praesumant absolvere a reservatis, vel secularium Confessiones excipere, sine Ordinarii approbatione, & facultate.

Hinc II. Subditus delinquens extra dioecesim ligantis, Censuram non incurrit, si lata sit per modum statuti: secus vero, si Censura lata sit per modum praecepti transitorii: puta si Episcopus Clerico peregrinaturo sub poena suspensionis ludum alearum prohibeat. Ratio disparitatis est, quia statutum afficit territorium, pro cujus recta gubernatione fertur, neque extra illud obligat: Sententia vero est praeceptum, quod immediate tendit ad personas subjectas, eisque cohaeret, quocumque terrarum discesserint. Peregrini delinquentes in alieno territorio contrahunt Censuras latas

per

per modum statuti. Ita multi contra multos; quia probabilius peregrini subjiciuntur legibus territorii, in quo versantur ratione suae personae in eo exsistentis: Ergo & censuris, quae harum legum violationi adnexae sunt.

Prob. 4. pars: ut *sit doli capax*, qui censuris ligari debet; alias non esset culpae, & emendationis capax.

Hinc neque perpetuo amentes, neque pueri ante rationis usum sunt Censuris obnoxii; quia nequeunt peccare.

Impuberes subjiciuntur Censuris non solum a jure, ut patet ab excommunicatione ob ingressum in Monasterium Monialium, & ob percussionem Clerici; sed etiam ab homine. Communiter tamen eximuntur ab excommunicatione, & reservatione.

§. III.
De Materia, forma, & effectibus Censurarum.

Prop. I.

Materia Censurae saltem totalis est peccatum grave, externum contra praeceptum Ecclesiae contumaciter admissum.

Prob. 1. pars. Censura poena gravissima est, cum privet magnis bonis spiritualibus. Atqui poena debet respondere culpae; alias esset injusta. Ergo imponi ne-

nequit, nisi ob culpam gravem. Unde in *Canone* 41. *cap.* 2. *quaestione* 9. dicitur: *Quia anathema est aeternae mortis damnatio, nonnisi pro mortali debet imponi crimine, & illi, qui aliter non potuerit corrigi.*

Dixi, *totalis*; nam Censurae minores, ut excommunicatio minor, suspensio ad breve tempus ab aliquo officii usu, & interdictum particularis personae ad breve intervallum ex communi Doctorum sententia possunt ob culpam levem infligi.

Nota hîc: Si materia tum in se, tum spectatis omnibus circumstantiis sit levis, non potest sub gravi Censura prohiberi. Verum si materia levis in se, sed fine, & circumstantiis sit magnopere gravis, tunc si a superiore prohibeatur sub expresso praecepto, Censura adjecta illius transgressioni gravis est. Hinc Praelati sub majori excommunicatione sibi reservata locutionem prohibent cum Monialibus, etiam de re ceteroqui licita ob periculum, ne sacrae virgines a divino servitio avertantur.

Prob. 2. pars: ut *sit externum*. Nam Censura licet sit poena spiritualis, infligitur tamen in exteriori Ecclesiae foro. Atqui Ecclesia in foro exteriori non judicat de mere internis, & quae nullo signo exteriori manifestantur. Ergo &c. *Nobis*, ait *Innocentius III. datum est de manifestis tantummodo judicare; de internis vero judicat*

qui

qui scrutator est cordium. Atque hinc manarunt haec juris axiomata: *Non habent latentia peccata vindictam*, *Can.* 23. *Caus.* 32. *quaest.* 5. *Cogitationis poenam nemo patitur.*

Hinc inferes ob haeresim mere mentalem nullo signo externo manifestatam, Censuram non contrahi: secus si homo illam manifestaret, tametsi solus in cubiculo clausus, sejunctus ab hominum consortio; quia tunc haeresis esset utique occulta, sed simul sensibilis & externa.

Item peccatum exterius, propter quod Censura infligitur, debet esse in suo genere consummatum; tum quia lex non obligat, nec operatur ultra intentionem legislatoris verbis expressam; tum quia odia restringi decet.

Hinc Neapoli non incurrit in reservatam excommunicationem latam contra patrantes homicidia, & mutilationes membrorum in Ecclesiis, qui animo occidendi vel mutilandi, hominem graviter vulneravit, nisi mors, vel mutilatio sequatur: secus, quando in lege aliud exprimatur. Si enim lex declaret, se velle punire conatum, & quamlibet malitiam attentatam, jam non est necesse, ut peccatum in tali genere sit consummatum. Sic excommunicatio reservata incurritur a provocantibus, aut acceptantibus duellum, etiam pugna non secuta.

Item Censura contra exsecutores crimi-

minis lata, mandantes, vel consulentes non comprehendit, nisi in lege sint nominati. Ita omnes ex communi illo principio, odia in puris poenalibus esse restringenda.

Prob. 3. pars. ut *sit contra praeceptum Ecclesiae contumaciter admissum*. Nam Censura ecclesiastica ad contumaciam, & rebellionem contra Ecclesiam reprimendam est constituta juxta illud *Matth. XXIII. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus*. Ergo culpa, quae Censurae subjacet, debet esse contra praecepta Ecclesiae cum contumacia; & ideo *Innocentius III. Cap.* Ex parte *de V. S.* ait: *Quia reus citatus noluit parere judici, aut a commisso delicto jussus se emendare noluit*.

Hinc ob peccatum mere praeteritum non potest ferri Censura, nisi tractum successivum habeat, vel quia reus in eo perseveret, vel ut cogatur scandalum tollere, vel per congruam satisfactionem injuriam resarcire. Ideoque Censura ferri debet pro inobedientia, vel contumacia saltem virtuali & interpretativa, quatenus delinquens scit, nec tamen curat Ecclesiam prohibentem sub Censura.

Q. *Num pro ferenda Censura requiratur culpa & contumacia propria, an sufficiat aliena?*

R. Ad incurrendam excommunicationem majorem requiritur culpa, & contumacia propria; cum sit poena omnium

gra-

gravissima : ad incurrendum vero interdictum generale, & suspensionem non personalem sufficit peccatum grave alterius, qui tamen sit caput communitatis.

Prop. II.

Forma Censurarum sunt ritus, seu conditiones, quas jura, & consuetudo praescripsere.

Prob.ex *Cap.* Constitutionem *de sententia excommunicationis in VI.* & ex *cap.*1.Cum medicinalis *eodem titulo*, ubi *Innocentius IV.* formam, & ritus ferendi Censuras praescribit, nempe 1. ut praecedat canonica monitio, id est trina juxta Canones, vel si adsit gravis caussa una pro tribus, dummodo pro tribus valitura esse exprimatur; E. G. *moneo te pro tribus vicibus*. 2. Ut ex scripto recitetur; *quisquis igitur excommunicat, excommunicationem in scriptis proferat*, dicitur in laud. *cap.* 1. 3. Ut caussa Censurae,exponatur. 4. Ut reo petenti exemplum, seu, ut ajunt, copia ejusmodi scripturae intra mensem tradatur; alioquin judex ipse suspenditur a divinis officiis.

Q. I. *An recensitae conditiones omnes sint necessariae ad valorem Censurae?*

R. Neg. & dico I. ad incurrendam Censuram, quae lata est per modum statuti, seu legis, vel ab homine per sententiam generalem contra actum futurum non requiri aliam monitionem, quam promulgationem ipsius legis. Lex enim cum sit pu-

publica & permanens, semper satis per se monet ex *cap. 26. de Appellationibus*: ideoque si hujusmodi sint latae sententiae, ipso facto in eas incurritur, etiamsi occultum sit delictum. Si vero Censura a jure sit ferendae sententiae, praeter monitionem, quam ipsa legis promulgatio complectitur, antequam in transgressorem feratur Censura, requiri aliam monitionem docent non pauci.

Dico II. ad contrahendam Censuram, quae specialiter fertur ab homine pro satisfactione, aut emendatione peccati praeteriti, requiri omnino praeviam monitionem. Nam ferri Censura nequit, nisi in contumacem: contumax autem esse nequit, nisi sit admonitus. Ergo &c.

Dico III. Ceteras *formalitates* quas vocant, seu conditiones, quae in *cap. Cum medicinalis* sub gravi poena praescribuntur, necessarias esse ad accidentalem solemnitatem, secus ad substantialem valorem Censurae. Probatur, quia ad Censurae valorem nullo jure praescribitur certa forma. Hinc valet Censura, cum judex sufficienter manifestat suam voluntatem, & speciem Censurae, quam infert. Quare valida esset Censura, licet illicita, si caussa, quae tamen revera exsistat, non exponatur, si scripto omisso sola voce proferatur, vel si solis nutibus, aliisque signis externis manifestetur.

Q.II.

Q. II. *Quaenam forma in absolutione a Censuris servanda?*

R. I. Censuram absque absolutione non auferri, constat ex hac proposit. 44. damnata ab *Alexandro VII. Quoad forum conscientiae, reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessat Censura.*

R. II. Absolutionem a Censuris ex natura rei non requirere certam verborum formam, cum non sit sacramentalis, sed posse valide conferri per quaelibet signa, quibus absolutio impendi aperte significetur. Imo apud omnes convenit validam esse, licet illicitam, absolutionem ab habente potestatem ordinariam datam absenti, vel invito, & male disposito; quia Censura cum sit solum poena, potest a superiore ad libitum valide auferri. Verum Censurae absolutio ut sit licita, regulariter loquendo, non est impertienda, nisi reo praesenti, & verbis congruis, quae rituales libri praescribunt.

Q. III. *Quinam sint Censurarum effectus?*

R. Varios esse: & 1. quidem Censurae privant quibusdam bonis spiritualibus, de quibus cap. sequenti sermo instituetur. 2. Obligant in conscientia, ita ut peccent, qui Censuris irretiti eas obeunt actiones, quibus prohibiti fuerint. 3. Violatio Censurae per exercitium sacri Ordinis parit irregularitatem.

§. IV.

§. IV.
De Caussis a Censura incurrenda excusantibus.

Nota. Caussae ab incurrenda Censura excusantes ad sex capita ab Auctoribus revocari solent; nimirum injustitia caussae, Censurae invaliditas, ignorantia, metus, impotentia, appellatio. De Injustitia caussae diximus §. I. Illud porro advertatur, quod id omne, quod excusat a culpa contra praeceptum, eximit quoque a Censura, quae sine culpa contrahi nequit.

Praeterea Censura dicitur invalida 1. defectu potestatis in judice, ut si lata sit in personam non subditam, vel si judex auctoritate careat, aut eam ligatam habeat. 2. Si subditus appellationem interponat tempore opportuno. 3. Si judex omittat formam substantialem a jure praescriptam.

Q. I. *An ignorantia excuset a Censura contrahenda?*

Nota. Ignorantia multiplex est, *juris*, *facti*, & *poenae*: atque ea dividitur in *vincibilem*, & *invincibilem*; in *crassam* seu *supinam*, & *affectatam*.

Ignorantiâ juris laborat, qui ignorat legem prohibentem, vel praecipientem: laborat ignorantiâ facti, qui E. G. nescit esse Clericum, quem percutit. Ignorantia poenae est, cum quis perspectam non habet

bet poenam ei crimini adjectam. E. G. Scis prohibitam esse Clerici verberationem, & quem verberas, esse Clericum: at ignoras huic illicitae percussioni adjectam esse poenam. Ignorantia vero invincibilis est, quae superari humana industria non potest; contra vincibilis dicitur, quae superari potest. Haec ignorantia vincibilis alia est affectata, cum quis studiose ignorare vult, quod scire tenetur: alia crassa vel supina, cum quis nullam adhibet diligentiam ad investigandum id, quod potest, & tenetur scire. Denique alia est antecedens, quae est caussa actus: alia concomitans, quae non est caussa actus, & sine qua actus fieret. Ut quando aliquis ita odio affectus est contra Clericum, ut occidens hominem, quem ignorat esse Clericum, illum tamen occideret, si agnosceret Clericum. His animadversis,

Dico I. *Ignorantia invincibilis sive juris, sive facti, sive poenae excusat ab incurrenda Censura.*

Prob. I. Quia ipso jure ignorantes Censuris non ligantur, nisi eorum ignorantia crassa fuerit, aut supina. Ita dicitur in *cap. II. de constit. in VI.*

Prob. II. Quia ad contrahendam Censuram necessaria est contumacia, & culpa mortalis. Atqui ubi est ignorantia invincibilis, saltem alterutrum deest. Ergo &c.

Ex his colliges, I. eum qui occidit Cleri-

ricum in sylva, quem invincibiliter putabat esse feram, a Censura excusari; quia deest culpa, quae necessaria est ad contrahendam Censuram.

II. Eum qui scit duellum esse jure divino vetitum, ignorat vero invincibiliter legem ecclesiasticam sub Censura illud prohibentem, Censuram non incurri; quia deest contumacia, licet peccet contra jus naturale, & divinum.

III. Eum qui sciret legem ecclesiasticam prohibentem E. G. ingressum in monasteria Monialium, & ignoraret invincibiliter huic ingressui adnexam esse Censuram, huic non subjici. Ut enim aliquis Censuram incurrat, necesse est, ut monitus fuerit saltem a lege. Sed qui poenam lege latam ignorat invincibiliter, monitus non fuit a lege; quia ipsam invincibiliter ignorat. Ergo.

IV. Eum qui invincibiliter nescit esse Clericum quem percutit, immunem esse a Censura; quia actio cum non sit voluntaria circa id, quod ignoratur, non potest dici culpabilis, & contumax transgressio legis ecclesiasticae. Idem docent de ignorantia concomitante, quia pravus affectus non influit in actionem externam, quae revera procedit ab Ignorantia.

Dico II. *Ignorantia crassa & supina sive juris, sive facti, sive poenae non excusat ab incurrendis Censuris.*

Prob.

Prob. 1. ex laudato *cap.* 2. *de Constitutionibus*. 2. Quia virtualiter, & interpretative legem contemnit, qui cum potest, & debet, nullâ adhibitâ diligentiâ eam investigare conatur. Quadere ex tali ignorantia peccans, est sufficienter contumax.

Dico III. *Ignorantia vincibilis, non affectata a Censura excusat, quando in lege dicitur:* Qui scienter, qui temere, qui audacter id fecerit.

Prob. 1. pars. Hujusmodi clausulis lex majorem notitiam requirit, quam quae in aliis legibus, ubi hae clausulae desiderantur, exigi solet. Ergo violator legis non dicitur, qui ignorantia vincibili non affectata laborat.

Prob. 2. pars. Ignorantia affectata aequivalet scientiae, & auget potius, quam minuit culpam. Ergo non excusat.

Q. II. *An metus gravis cadens in virum constantem excuset a Censura?*

R. I. Si res, quae fit ob metum gravem, sit prohibita duntaxat jure ecclesiastico, qui eam facit, non incurrit Censuram. Atque ea est ratio, quia jus ecclesiasticum non obligat cum gravi incommodo. Quare sicut metus iste excusat a peccato, ita etiam potiori jure excusat a Censura. Secus si ex gravi metu quis violaret legem ecclesiasticam, cui adnexa est Censura, in contemtum ejusdem legis.

E.G. Si quis cogeretur manducare carnes die Veneris sub Censura prohibitas in contemtum Ecclesiae; hic & peccaret mortaliter, & Censuram incurreret; cum in casu publicum bonum Religionis obliget, non obstante quovis privato incommodo. Ergo sicut non est immunis a peccato, ita etiam ne a Censura quidem contra hoc peccatum lata.

R. II. Si res prohibita esset jure naturali, aut divino, & praecepto ecclesiastico infligente Censuram, metus gravis sicut non excusaret a peccato, ita etiam ne a Censura quidem incurrenda. Ita multi.

Prob. I. Ad incurrendam Censuram duo requiruntur, peccatum, & contumacia contra praeceptum Ecclesiae. Atqui in hypothesi, de qua agimus, neutrum deest. Ergo. Prob. Min. Non deest peccatum, & quidem contra jus ecclesiasticum; nam ideo Ecclesia iis criminibus Censuram imponit, ut homines potentius, & efficacius retrahantur ab illis patrandis. Ergo tam late debet obligare Ecclesiae Censura, quam Dei, vel naturae lex. Quamobrem sicut non excusatur a peccato contra jus naturale, aut divinum, ita nec etiam excusatur a peccato contra jus ecclesiasticum; ac proinde a contumacia saltem interpretativa contra Ecclesiam sub Censura tale delictum prohibentem. Ita videtur decisum in *cap.* Sa-

Sacris, *de iis, quae vi, metusve caussa fiunt*: *Si quis*, ait Pontifex, *per coactionem adstrictus communicet cum excommunicato, non credimus excommunicatione teneri, cum magis pati, quam agere convincatur: si per metum inductus, excommunicationis labe credimus inquinari, cum pro nullo metu debeat quis peccatum mortale incurrere*.

Prob. II. Si vera esset sententia opposita, sequeretur, acceptantes duellum ex gravi metu non incurrere ecclesiasticas poenas contra duellantes. Atqui hoc ipsum fuit damnatum a *Bened.XIV.* in *Const.* quae incipit *Detestabilem*, edita anno 1752. *Non incurrit ecclesiasticas poenas contra duellantes latas dux, vel officialis militiae acceptans duellum ex gravi metu amissionis famae, vel officii*. Ergo.

Q. III. *Quomodo se gerere debeat, qui dubius est, an sit Censura irretitus?*

R. Cum Dist. Si dubitet de exsistentia legis aliquid prohibentis sub Censura, judicare debet non esse latam; quia hoc casu, ait *S. Thomas Quodlibeto IV. art.* 14. mitior pars eligenda est. Si vero certus sit Censuram esse latam sive a jure, sive ab homine, dubitet vero an illam incurrerit, tenetur se gerere, perinde atque Censura irretitus esset, donec aut dubium deposuerit, aut a Censura absolutus fuerit; ob rationem generalem, quod in dubio tu-

tior pars est eligenda; alioquin se exponeret periculo peccandi, violando Censuram actu per eam prohibito.

CAP. II.

De Excommunicatione.

NOta I. Excommunicatio est Censura *privans hominem baptizatum communione fidelium*. In *majorem*, & *minorem* dividitur. Illa omni, haec aliqua tantum communione privat. Hinc Excommunicatio absolute prolata semper de majori intelligitur, *cap. 9. de Sent. Excommun. Qua poena in Ecclesia nulla major est*, ait *D. Augustin. lib. de Corrept. & Grat. cap.* 15.

Nota II. Tres olim in Ecclesia fuerunt species excommunicationis majoris. Prima dicebatur *excommunicatio simplex*; altera *anathema*; tertia *maranatha*. Simplex excommunicatio, & anathema in hoc duntaxat inter se differebant, quod illa solo verbo proferretur; anathema vero majori solemnitate contra impios ac scelestos pronunciaretur. Id autem *Maranatha* anathemati addebat, ut excommunicatus solius Dei judicio relictus, ab Ecclesiae communione separatus permanere juberetur us-

que

que ad adventum Domini, seu ad diem judicii. Vide Glossarium *Caroli Du-Gancii* in Verbo *Maranatha*. Hac tertia excommunicationis specie contra regni proditores usi sunt Patres Concilii Toletani IV.

§. I.
De Excommunicato vitando, ac de Excommunicatione Minori.

Nota I. Excommunicatus majore Excommunicatione, alius est *toleratus*, alius *vitandus*. Excommunicatus vitandus, seu non toleratus est, quem fideles tenentur vitare; ita ut neque in rebus divinis, neque in civilibus possint cum eo communicare. Toleratus vero dicitur ille, quem fideles non tenentur vitare.

Nota II. Omnes olim excommunicati erant vitandi; sed hodie ex Const. Concilii Constantiensis, quae incipit, *Ad evitanda scandala*, confirmata a *Martino V.* teste *S. Antonino* ex praxi communiter recepta, illi duntaxat vitandi dicuntur, qui sunt nominatim excommunicati, & denunciati, vel notorii Clericorum percussores.

Nota III. Ut quis dicatur excommunicatus nominatim denunciatus, duo requiruntur; primum, ut in scriptura, quam *cedulonem* dicimus, exprimatur proprium nomen, & cognomen personae excommunicatae. Hinc licet dicatur: *Excommunica-*

mus Petrum, E. G. *incendiarium, & ejus complices*; solus Petrus est vitandus, non vero socii, quamvis notorii fuerint: quia socii non sunt nominatim expressi. Vel talia signa adhibeantur, ut plane omnibus constet, quisnam exprimatur, adeo quidem ut non liceat de ea persona dubitari. E. G. *Excommunicamus talis loci Decanum, Rectorem*. Alterum, ut judicis auctoritate publice declaretur, talem esse excommunicatum: quae declaratio, seu denunciatio in publico loco fieri debet, aut inter Missarum solemnia, aut affigendo chartam loco publico, juxta locorum diversitatem.

Nota IV. Publicus Clerici percussor in *Extravaganti* laud. dicitur ille, cujus percussio publica nulla potest tergiversatione celari, neque ullo juris suffragio excusari.

Q. I. ***An sine ulla necessitate, vel absque speciali utilitate peccent fideles petentes, ut excommunicatus toleratus celebret, sibi administret Sacramenta, & secum recitet divina Officia?***

Ante responsionem nota. Certum est, Constantiensem constitutionem latam esse, quo fidelibus, non vero excommunicatis prospiceretur: *Per hoc tamen*, sunt verba Concilii, *ipsos excommunicatos, suspensos, aut interdictos, aut prohibitos non intendimus in aliquo relevare, aut quomodolibet suffragari*. Hinc excommunicati licet tole-

lerati non possunt communicare in divinis, vel humanis cum aliis; quia id expresse prohibetur ex verbis constitutionis modo relatis. Contra fideles possunt in civilibus, & politicis communicare, etiam praecisa necessitate, cum excommunicatis toleratis: & necessitate urgente, vel utilitate postulante, etiam in divinis.

R. Ad Quaesitum Affir. Ita multi, non quidem contra praeceptum censurae, sed contra caritatem inducendo excommunicatum ad actum, quem ille per se loquendo praestare nequit. Item contra religionem, cum indecens sit, ut talis excommunicatus absque necessitate, aut aliqua utilitate Sacramenta ministret.

Q. II. *Sub qua culpa, & poena prohibita sit fidelibus communicatio cum excommunicato vitando?*

R. Mortale est communicare in rebus sacris cum excommunicato vitando; quia materia est gravis, & valde repugnat tum auctoritati, & fini Censurae; tum etiam dignitati rerum sacrarum. Sed veniale est communicare in civilibus, sublato scandalo, vel contemtu; utrobique vero incurritur excommunicatio minor.

Nota. Excipiuntur tres casus, in quibus ob hanc communicationem incurritur excommunicatio major. Primus est, quando Clericus sciens, libere ac sponte communicat in divinis cum excommunicato

a Papa per sententiam particularem, & nominatim, incurrit in excommunicationem majorem ipsi Papae reservatam.

Alter, quando quis participat, aut communicat cum excommunicato post sententiam latam contra participantes, incurrit excommunicationem majorem, praecedente tamen trina monitione, vel una aequivalente tribus: & ab hac excommunicatione non potest absolvi, nisi ab eo, qui potest absolvere principalem.

Tertius, quando quis scienter communicat in crimine criminoso, seu in eo crimine, ob quod quis excommunicatus est, praebens ei auxilium, consilium, favorem &c.

Q. III. *An aliquando liceat fidelibus communicare cum excommunicato vitando?*

R. In quinque casibus juxta *Glossam* in *cap.* Cum desideres, *de sententia excommunicationis*, qui hoc versiculo comprehenduntur:

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Utile significat omnem utilitatem spiritualem, vel temporalem sive excommunicati, sive communicantis cum eodem. Hinc licet fideli agere omnia, quae ad ipsius excommunicati conversionem conferunt; tum etiam illum consulere, dummodo hujusmodi consilia ab alio peti nequeant; ac tandem petere restitutionem, vel debitum ex contractu. Sed contra-

ctus

ctus novos cum excommunicato inire non licet.

Lex intelligitur matrimonialis, vi cujus uxori licet communicare cum marito, & contra, nisi factum sit divortium. Quod si excommunicati matrimonium contraxissent, tunc privilegio communicationis non fruerentur; neque si excommunicatio lata esset matrimonii caussâ; imo vi excommunicationis separari deberent.

Humile significat subjectionis communicationem, quam praestare valent filii erga parentes, & famuli erga dominos excommunicatos, si serviebant ante excommunicationem. Item Religiosi cum proprio Praelato excommunicato communicare valent. Facultatem communicandi cum parentibus, & dominis concessa filiis, & servis extendunt etiam permulti ad communicandum in sacris, in iis tantum, quae ad subjectionem, & famulatum pertinent &c. Hinc colligunt, licere servo recitare Officium divinum cum domino excommunicato: vel cum eo assistere Missae, si vocetur ad comitandum. Contra filius, quamvis sit Parochus, non potest patri vitando Sacramenta ministrare, nec coram eo Officia divina facere; quia haec communicatio non competit ei ratione filiationis.

Res ignorata, scilicet ignorantia sive juris, sive facti, quae dummodo non sit affectata, juxta multos excusat a communi-

nicando cum excommunicatis vitandis.

Necesse indicat gravem aliquam necessitatem sive animae, sive corporis sive excommunicati, sive communicantis sive cujuslibet personae.

§. II.
De Excommunicatione Minore, ejusque effectibus.

Q. *Quid sit Excommunicatio Minor, & quinam illius effectus?*

R. Est *Censura ecclesiastica per se solum privans usu passivo, seu susceptione Sacramentorum:* atque haec privatio Sacramentorum est praecipuus, ac directus hujus censurae effectus. Quare graviter peccat, qui hac excommunicatione ligatus, aliquod Sacramentum suscipit, licet ob hujusmodi censurae violationem nullam irregularitatis notam contrahat.

Sunt & alii duo minoris Excommunicationis effectus, sed remoti, indirecti, & per consequentiam. Quorum primus est, quod saltem venialiter peccet, qui hac censura irretitus Sacramenta ministrat; quia indecens esse videtur, excommunicatum administrare Sacramenta, cum ipsi susceptio Sacramentorum tanquam indigno prohibita fuerit.

Alter effectus minoris Excommunicationis etiam indirectus est privatio electionis

nis passivae ad beneficia ecclesiastica, ut decernitur in *cap. ult. De Clerico excommunicato ministrante: Si scienter* (verba Canonis) *talis electus fuerit, ejus electio est irritanda, quod ad eorum susceptionem eligitur, ex quorum perceptione a Ss. Patribus est privatus.* Peccat ergo graviter, quia materia gravis est, qui scienter ligatum minori Excommunicatione ad beneficium ecclesiasticum eligit, praesentat &c. Item qui scienter illud recipit: & ejus electio est solum irritanda, non vero irrita, ut patet ex laudato *cap. ult.*

Excommunicatio haec contrahitur ob participationem cum excommunicato vitando juxta modo dicta, & potest absolvi a quolibet Confessario approbato.

§. III.
De Effectibus Excommunicationis Majoris.

Cum excommunicatus a gremio sanctae Matris Ecclesiae, & a consortio totius Christianae societatis eliminetur, ut loquitur Concilium Arausicanum *Can.* 17. ita ut non jam velut membrum Ecclesiae, sed ut infidelis habendus sit; sequitur, ut effectus adaequatus, & per se hujus ecclesiasticae poenae sit totalis privatio cujuscunque juris, quod ei tamquam Ecclesiae membro competebat. Hujus totalis privationis ecclesiasticae communionis varii a Doctori-

bus numerantur partiales effectus ; & sunt privatio communium Ecclesiae suffragiorum, participationis Sacramentorum activae , & passivae &c. Sunt & alii effectus mediati, & per accidens , ut irregularitas , quam contrahit Clericus , qui excommunicatione ligatus actum sacri Ordinis exercet.

§. IV.
De Privatione suffragiorum.

Nota . Suffragia Ecclesiae communia sunt spiritualia quaedam subsidia , quibus Ecclesia suis membris suffragatur, & quae a ministris Ecclesiae nomine offeruntur: quales sunt fructus Sacrificii, orationes publicae, indulgentiae &c.

Prop. I.

Excommunicatus privatur communibus Ecclesiae suffragiis.

Prob. Haec spiritualia subsidia pendent ab Ecclesiae dispensatione . Atqui Ecclesia potest, & vult excommunicatos hac privatione punire. Ergo. 1. Quod Ecclesia possit, patet ex potestate sibi a Christo concessa instituendi censuras . 2. Quod autem velit, constat ex *cap.* Sacris , *de sententia excommunicationis* , & ex *cap.* Nobis: ubi vetitum est, ne publica suffragia pro excommunicatis offerantur.

Hinc excepto die Parasceves , quo in Ecclesia pro haereticis , & schismaticis pu-

publicae preces fundi solent, qui praedicta suffragia pro excommunicato offerret, 1. graviter peccaret: 2. minorem excommunicationem incurreret: 3. invalida foret talis applicatio, utpote facta contra voluntatem Ecclesiae, quae a Christo Domino constituta est communium bonorum dispensatrix.

Q. I. *An excommunicatus contritus, & in gratia constitutus, particeps fiat communium Ecclesiae suffragiorum?*

R. Neg. Ita multi: nam censura non tollitur, nisi per absolutionem. Ergo quamdiu perseverat censura, tamdiu omnis ejus effectus manet. Ergo &c.

Q. II. *An pro excommunicatis toleratis liceat Ecclesiae suffragia offerre?*

R. Neg. Ita multi: nam ex Const. *Martini V.* Ecclesia non intendit toleratis ullum favorem concedere, aut in aliquo suffragari. Atqui maximus favor eis praestaret, si tolerati participes essent suffragiorum; cum tolleretur praecipua poena, & ratio excommunicationis. Ergo.

Prop. II.

Nullus excommunicatus etiam vitandus excluditur a privatis fidelium orationibus, quae non fiunt nomine Ecclesiae.

Prob. 1. Id non prohibet Ecclesia. 2. Usus fidelium est praestare omnibus hoc officium misericordiae, & spiritualis eleemosynae. Hinc quilibet Sacerdos in *Memento Mis-*

Missae potest, ut persona privata, orare pro excommunicatis. Licet enim in hoc Sacrificio gerat personam Christi, & Ecclesiae, non propterea personam privatam exuit.

§. V.
De Privatione usus Sacramentorum.

Sacramentorum usus duplex; alter passivus, quo recipiuntur, activus alter, quo administrantur.

Prop. I.

Excommunicatus etiam toleratus, etiam occultus, absolute loquendo illicite recipit quodvis Sacramentum.

Prob. Excommunicato etiam tolerato, etiam occulto vetita est passiva Sacramentorum participatio. Ergo absolute loquendo, graviter, & sacrilege peccat, si in excommunicatione recipiat aliquod Sacramentum: quia violat praeceptum Ecclesiae in re gravi ad religionem pertinente.

Dixi 1. *illicite recipit*. Quia excommunicatus cetera praeter Poenitentiam Sacramenta valide recipit quoad substantiam; quia Sacramenta dum legitima materia, & forma constant, valida sunt: neque Ecclesia potest irritare Sacramenta, quae cum essentialibus conditionibus a Christo praescriptis collata fuere. Unde excommunicatus licet letaliter peccet in ipsa Sacramentorum re-

receptione, alios tamen effectus recipit, ut characterem in Ordine, & Confirmatione, &c.

Dixi, *praeter Poenitentiam*; quia ad Poenitentiae valorem requiritur sincerus de peccatis dolor, quem non habet, qui non obstante excommunicatione, a qua absolvi non curat, ad Poenitentiam accedit.

Dixi 2. *Absolute loquendo*: nam interdum usuvenire potest, ut valide, & licite recipere Sacramenta excommunicatus valeat. 1. Si adsit ignorantia invincibilis excommunicationis, vel inadvertentia ejusdem. 2. Si urgeat necessitas vitandi scandalum, infamiam, aliudve grave incommodum. In hisce casibus Sacramenta ab excommunicato suscipi posse, communior sententia affirmat; dummodo valide administrentur, & suscipiantur non in contemtum Ecclesiae, sed cum debita dispositione: quia Ecclesiae praecepta non obligant cum tanto incommodo.

Idem dicendum etiam de susceptione Sacramenti Poenitentiae juxta probabiliorem sententiam. Quare si excommunicatus ad Poenitentiam accedat vel cum ignorantia invincibili excommunicationis, vel ad grave detrimentum vitandum, vel bona fide petat absolutionem a Censuris, & peccatis; Confessarius vero ex oblivione, eum a peccatis absolvat, non autem a Censuris: in his casibus, dummodo poeni-

nitens, sit alias rite dispositus, valide recipit Poenitentiae Sacramentum, remanente excommunicationis censura; quia Confessarius valide, & licite Sacramentum administrat, cum jurisdictionem habeat. Neque enim aliquo jure probatur, in his circumstantiis, Ecclesiam auferre Confessariis jurisdictionem in excommunicatos, quin possint illos absolvere a peccatis. Poenitens vero sufficienter contritus digne illud suscipit, vel quia laborat invincibili excommunicationis ignorantia, vel quia gravissimâ urgente caussâ accedit, puta, ut diximus, ad declinandum grave damnum.

Qui extra praedictos necessitatis casus scienter excommunicato vitando ministraret Sacramenta absque praevia absolutione ab excommunicatione, peccaret graviter contra prohibitionem Ecclesiae, & incurreret excommunicationem minorem, & interdictum ab ingressu Ecclesiae, *cap.* Episcoporum, *de privilegiis in 6.* Imo si esset excommunicatus per sententiam particularem a Papa, vel nominatim denunciatus, incurreret excommunicationem majorem reservatam Pontifici. At si ille esset excommunicatus toleratus, non peccaret vi illius Censurae, si quis ei Sacramenta administraret; quia decretum *Ad evitanda scandala* permittit omnem communicationem, etiam in divinis, cum tolerato. Peccare tamen potest contra jus na-

naturale, & divinum, quae vetant, ne Sacramenta conferantur indigne petenti: nisi petens sit peccator occultus, & publice petat.

Nota. Excommunicatus, qui in excommunicatione Sacramenta recipit, nullam incurrit poenam a jure sancitam, nisi in sola susceptione Ordinis sacri, a quo suspenditur, *cap.* Cum illorum, *de sententia excommunicationis*.

Prop. II.

Extra necessitatis casum nullus excommunicatus sive vitandus, sive toleratus, aliquod Sacramentum licite administrare potest.

Prob. Quia Ecclesiae praeceptum in gravissima re violatur. Ergo graviter peccat, & irregularitatem contrahit, si Sacramentum, quod illicite administrat, sui Ordinis exercitium exigat.

Dixi 1. *extra necessitatis casum*: nam 1. urgente necessitate extrema jam jam morituri, excommunicatus etiam vitandus, interiori tamen cordis dolore affectus, baptismum, & poenitentiam administrare valet. Item juxta aliquos etiam viaticum, & extremam unctionem, saltem quando infirmus aliud Sacramentum suscipere nequit. Item assistere matrimonio in periculo mortis, ad consulendum honori feminae, quae a viro cognita fuisset, & ad filios legitimos constituendos. Item ad evitanda gravis-

vissima incommoda, puta, jacturam famae, bonorum; quia praecepta Ecclesiae non obligant cum gravissimo incommodo; sublato tamen contemtu, & scandalo, vel nisi Sacramentum nullum efficeret: quo quidem in casu potius mortem subire deberet, quam Sacramentum profanare.

2. Si excommunicatus sit toleratus, excusatur a peccato, & irregularitate non solum ob recensitas caussas, verum etiam, si praemissa contritione Sacramenta ministret ad petitionem, & utilitatem fidelium; dummodo hanc administrationem ultro non subeat; quia ex Constantiensi decreto toleratus non amittit potestatem administrandi Sacramenta in utilitatem fidelium, si ad id rogatus fuerit.

Advertendum est discrimen inter excommunicatum vitandum, & toleratum in administratione Sacramentorum. Utrique enim vetita est sub gravi Sacramentorum administratio. Verum toleratus, si requisitus, & adsit aliqua utilitas, vel necessitas fidelis petentis, praemissa contritione, potest licite Sacramenta conferre. Vitandus vero, etiam requisitus, non potest, nisi in casibus supra expressis.

Dixi 2. *illicite*: nam excommunicatus per se valide confert quodvis Sacramentum, excepto Sacramento Poenitentiae ministrato ab excommunicato vitando. Cujus quidem rei ratio est, quia ubi essentialia Sacra-

cramenti concurrunt, Ecclesia nec vult, nec potest illud irritum reddere. At contra est in Sacramento Poenitentiae; quia vitandus caret jurisdictione requisita in collatione hujus Sacramenti. Unde fideles, qui extra mortis articulum excommunicato vitando sive scienter, sive ignoranter confitentur, repetere Confessionem debent.

§. VI.
De divinorum Officiorum Assistentia.

Nota. Nomine divinorum Officiorum hîc intelliguntur omnes functiones, quae solemniter fiunt ex institutione Christi, vel Ecclesiae: ut Missarum celebratio, Horae canonicae, publicae preces, processiones, benedictiones, chrismatis consecrationes, atque aliae hujus generis caerimoniae.

Prop.

Excommunicatus quilibet vi Censurae privatur munere celebrandi divina Officia, & iisdem assistendi.

Prob. Excommunicatus divina Officia celebrare, & iisdem adesse non potest, quin cum fidelibus communicet. Atqui cuilibet excommunicato vi Censurae vetita est communicatio cum fidelibus, praesertim in divinis. Ergo & divinorum Officiorum celebratio, & assistentia. Hinc quilibet excommunicatus graviter peccat, si Missae sacrificio, vel divinis Officiis assistat,

sistat, quia materia gravis est, & in re valde sacra. Possunt tamen excusari ab ignorantia, vel necessitate vitandi scandalum, juxta jam dicta. Si vero sit toleratus, potest requisitus ministrare celebranti, qui nullum alium habet, qui Missae inserviat: secus, si vitandus sit.

Q. I. *An peccet excommunicatus non audiendo Sacrum die festo?*

R. Affir. Et quidem graviter juxta multos, si negligens sit in obtinenda absolutione. Nam Christianus eodem praecepto, quo obstringitur Missam audire, tenetur etiam removere, quoad potest, impedimenta, quae removent ab observantia ejusdem. Idem potiore jure dicendum de praecepto annuae Confessionis, & Communionis.

Q. II. *An, & quomodo teneatur excommunicatus Horas canonicas recitare?*

R. I. Excommunicatus obligatus ad Horas canonicas, non excusatur ab illis recitandis, ne commodum ex iniquitate reportet: imo addunt aliqui, adhuc teneri, si ad Horas adstringatur ex solo beneficii titulo, etsi fructus illius beneficii non recipiat; quia iisdem sua culpa privatur: secus, si ipso beneficii titulo privatus sit.

R.II. Quoad modum recitandi, nequit excommunicatus in recitandis Horis socium adhibere absque veniali culpa; neque etiam absque ea simili culpa dicere debet, *Dominus vobiscum*: quae formula est Sacerdo-

dotis ad populum ſalutatio; ſed ejus loco *Domine exaudi orationem meam*. Poſſunt tamen excommunicati ſacram concionem audire, privatim Eccleſiam ingredi, ibique orare.

Q. III. *An in aliquam incurrat poenam excommunicatus, qui Miſſae ſacrificio, aliiſque divinis Officiis intereſt?*

R. Nullam incurrit poenam praeter peccatum mortale; quia nulla ei impoſita eſt in jure.

Excipiuntur tamen duo caſus: primus eſt, ſi excommunicatus vitandus aſſiſtens Miſſae, monituſque a ſacerdote, ut recedat ab Eccleſia, nolit recedere; tunc novam incurrit excommunicationem Papae reſervatam. Sicut illam etiam incurrit interdictus, denunciatus, pertinaciter aſſiſtens Miſſae, & omnes, qui impediunt, ut excommunicatus, aut interdictus recedat.

Alter caſus eſt, ſi ſacerdos excommunicatus auctoritate ſua faciat, ut coram ſe Miſſa vel alia divina Officia celebrentur: tunc incurrit irregularitatem, ex *cap.* Tanta, *de Exceſſibus Praelat.*

Nota. Si excommunicatus vitandus juſſus, nolit ab Eccleſia exire, tenentur Clerici eum, etiamſi eſſet Sacerdos, expellere, ſi poſſunt; aut ſi id praeſtari nequeat, fideles adſtantes recedere debent, ne cum illo communicent, & Sacerdos tenetur Miſſam incohatam abrumpere, ſi non-

dum

dum canonem inceperit. Si vero canonem inceperit, debet cum ministro solo Missam persequi usque ad Calicis sumtionem, & reliqua perficere in sacristia. Clerici scienter coram excommunicato vitando Missam, vel alia divina Officia celebrantes, graviter peccant, & incurrunt excommunicationem minorem, & interdictum ab ingressu Ecclesiae. Ceteri vero fideles adstantes, qui ab officiis, aut processionibus non recedunt, juxta multos graviter peccant, & juxta omnes contrahunt excommunicationem minorem.

§. VII.
De Inhabilitate ad beneficia ecclesiastica.

Prop.

Ligati excommunicatione majori inhabiles sunt ad beneficia ecclesiastica.

Prob. ex *cap.* Pastoralis, *de Clerico excommunicato ministrante*, ubi dicitur: *Clericis excommunicationis vinculo innodatis beneficia conferri non possunt, nec illi valent ea licite retinere, cum ea non fuerint canonice consecuti.* Praeterea beneficium datur propter officium ecclesiasticum, quod excommunicatus exercere non potest. Ergo &c. Licet beneficio ante excommunicationem obtento non privetur, quia nullo jure hoc cavetur; potest tamen eo privari, si in excommunicatione per annum sor-

ſordeſcat. Quin imo debet, ſi inſorduerit per biennium. Ita multi.

Hinc I. praeſentatio, electio, nominatio, collatio, impetratio litterarum Apoſtolicarum in favorem excommunicati nullae ſunt.

II. Haec electio, collatio, reſignatio per abſolutionem poſtea conſecutam non convaleſcunt; quia *non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non ſubſiſtit*, ex Regulis juris in VI. unde renovari debent, obtenta a ſuperioribus legitimis poſt abſolutionem diſpenſatione.

III. Non ſolum recipientes beneficium, verum etiam eligentes, conferentes ſcienter, peccant mortaliter; quia in re gravi faciunt actum nullum, & praeter excommunicationem minorem, quam conferentes beneficium excommunicato vitando incurrunt, ſuſpenſionem etiam contrahunt collationis talis beneficii.

IV. Quae dicta ſunt de excommunicato, extendunt communiter ad ſuſpenſum, interdictum, & irregularem.

Excipitur ab hac regula collatio facta a Pontifice, ſi vel Papa ſcienter conferat beneficium excommunicato, vel in conceſſione adſit clauſula abſolutionis a Cenſuris ad effectum gratiae conſequendum: niſi 1. quis eſſet excommunicatus ob haereſim, quae non aufertur per clauſulam generalem: 2. ſi recipiens beneficium, eſſet irregularis. Q. I.

Q. I. *An sit nulla collatio facta ei, qui invincibiliter ignorat, se vel esse excommunicatum, vel ab excommunicatione non fuisse absolutum?*

R. Affir. quia ignorantia excusat quidem a culpa, sed non tollit praecedentem inhabilitatem in subjecto. Hinc qui bona fide beneficium suscepit, ignorans suam excommunicationem, cum venerit in malam fidem, beneficium dimittere debet, & restituere fructus in eo, quo factus sit ditior, aut saltem juxta aliquos tenetur restituere id, quod ex beneficio superest suae congruae sustentationi tempore praestiti Ecclesiae servitii. Quod si mala fide beneficium recepisset, omnes fructus restituere deberet.

Q. II. *An qui est excommunicatus post beneficium obtentum, privetur fructibus ejus beneficii ante judicis sententiam?*

R. Affir. 1. quia in *cap.* Pastoralis 53. *de Appellationibus* haec habentur: *Illi proventus ecclesiastici merito subtrahuntur, cui Ecclesiae communicatio denegatur.* Atqui vox *subtrahuntur* non judicis sententiam, sed factum vi censurae significat. Ergo excommunicatus ipso facto fructibus beneficii privatur. 2. Quia excommunicatus est ipso facto ab officio suspensus: Ergo & a fructuum perceptione; cum fructus dentur propter officium.

Nota I. Excommunicati non solum sunt

ſunt inhabiles ad beneficia; verum etiam ad penſionem clericalem, ad dignitates, & officia eccleſiaſtica. II. Haec intelligenda ſunt non ſolum de excommunicato vitando, verum etiam de tolerato; quia decretum Conſtantienſe non favet excommunicatis, ſed fidelibus.

§. VIII.
De Privatione Juriſdictionis.

Nota. Juriſdictio poteſt accipi 1. proprie, & ſtricte, & eſt poteſtas regendi ſubditos, leges condendo, diſpenſando, abſolvendo in utroque foro, ſive per ſe, ſive per alios. 2. Latius, pro ut eſt poteſtas beneficia conferendi, eligendi, aut etiam praeſentandi. His poſitis,

Prop.

Excommunicati omnes illicite faciunt, quae ſunt juriſdictionis; valide tamen, ſi tolerati ſint; ſecus, ſi ſint denunciati.

Prob. 1. pars. Excommunicati non poſſunt juriſdictionem exercere, quin cum fidelibus communicent in re magni momenti. Ergo id illicite faciunt; unde per ſe loquendo, peccant.

Prob. 2. pars. Conſtantienſe decretum permittit fidelibus omnem communionem cum excommunicato tolerato, ac ſi excommunicatus non eſſet. Ergo conſervat in eo juriſdictionem, ut requiſitus poſſit in fa-

vorem fidelium eam exercere. Ita Doctores communiter.

Hinc toleratus potest absolvere, dispensare non solum valide, sed etiam licite, si requisitus; sin minus, valide, sed illicite; quia nequit ultro administrationem suscipere, ut jam diximus. Fideles litigantes coram excommunicato tolerato, possunt contra eum excipere, utpote excommunicatum, & tunc nullius valoris essent acta ab eo deinde facta. Dantes vero exceptionem intra octo dies speciem excommunicationis manifestare deberent; sin minus, nulla esset exceptio.

Prob. 3. pars. Excommunicato vitando, utpote juridice a corpore Ecclesiae praeciso, non prohibetur solum, sed aufertur jurisdictionis usus. Ergo omnia ejus acta non solum illicita, sed etiam invalida sunt.

Hinc nulla est ejus judicialis sententia, dispensatio, absolutio, facultatis concessio ad Sacramenta ministranda, quae sunt actus ecclesiasticae jurisdictionis, excepta absolutione in mortis articulo, & quando adest error communis cum titulo colorato. Contra valide, quamvis illicite exercet ea, quae sunt Ordinis, ut confirmare, baptizare &c.

Item nulla est ejus jurisdictionis delegatio: si tamen post factam delegationem ipse evadat excommunicatus, tunc si judicium

cium ſit inceptum , delegatus poteſt illud proſequi ; ſecus , ſi res ſit integra : vel ſi delegatus unum cum delegante excommunicato tribunal efficiat ; ut excommunicato Epiſcopo , ceſſat juriſdictio Vicarii generalis.

Item Vitandus invalide exercet actus juriſdictionis improprie dictae, ut ſunt electio, praeſentatio, collatio ex *cap.* unico, *Ne ſede vacante in 6.* Hinc nulla eſt electio, quae abſque ſuffragio vitandi concludi nequit.

Item nulla eſt reſignatio beneficii facta a vitando in favorem alterius : ſecus, ſi fuerit ſimplex.

Nota. Hoc certum eſt quoad juriſdictionem eccleſiaſticam: nam jura de ſolo judice eccleſiaſtico loquuntur. An vero extendi debeat ad judicem ſecularem, ita ut ejus acta ſint nulla, ſi vitandus ſit, diſputant Theologi. Affirmativam ſententiam Doctores communiter defendunt, & ajunt, hanc eſſe uſu receptam, ut vitandus, etiamſi fuerit judex ſecularis, privetur omni actu ad judicium pertinente.

§. IX.
De Privatione communicationis forensis, & civilis.

Nota. Communicatio politica duplex est: una *publica* & *forensis*, altera *privata* & *civilis*. Forensis consistit in temporali reipublicae gubernatione, & omnibus, quae huic adnexa sunt: ut leges civiles condere, judicia ferre, agere in judicio, testari &c. privata, & civilis communicatio habetur in rebus, quae ad humanum commercium, & quotidianam consuetudinem spectant; ut cohabitatio, mensa, allocutio, salutatio, ac similia. His positis,

Dico I. *Actus forenses facti ab excommunicato vitando, si sint actus jurisdictionis, sunt invalidi: alii sunt solum illiciti.*

Prob. 1. pars. Quia excommunicatus vitandus privatur omni actu jurisdictionis tam in foro civili, quam ecclesiastico. Ergo &c.

Prob. 2. pars. Nam hujusmodi actus forenses, in quibus nulla exercetur jurisdictio, nulla lege irritantur. Ergo pro validis habentur a jure. Sunt tamen illiciti, quia non possunt exerceri, quin vitandus communicet cum fidelibus, quod est excommunicato vetitum.

Hinc 1. vitandus nequit valide ferre le-

leges, dispensare, absolvere; quia sunt actus jurisdictionis. 2. Etsi licite non possit officia publica exercere, ut tutoris, actoris, advocati, testis, procuratoris in foro &c. ejus tamen acta valent, nisi excipiantur. Nam licet sint actus forenses, non sunt tamen actus jurisdictionis. 3. Tabellionis seu Notarii excommunicati vitandi acta irrita sunt, & invalida, si ejus actus ad substantiam contractus a jure requiratur. 4. Valent contractus initi a vitando, ut contractus emtionis, locationis &c.

Item contractus donationis tam excommunicato, quam ab excommunicato factus: ministris tamen Ecclesiae vetitum est oblationes ab excommunicato vitando recipere.

Item vitandus valide potest institui heres, & condere testamentum; nisi fiat ab excommunicato propter haeresim, ex *l.* Credentes *C. de Haeret. vel percussor. Cardinalis*, ex *cap.* Felicis, *de Poenis in 6.*

Dico II. *Quilibet actus forenses facti a tolerato sunt tantum illiciti, quando ultro sese ad agendum offerat: secus sunt liciti.*

Prob. Rationes patent ex dictis.

Nota. Excommunicatos ad quaedam vitae civilis officia esse inhabiles, ex eo ortum est, quod Christiani Princi-

pes leges suas, quoad fieri potest, ad bonos mores, atque evangelicam disciplinam accommodent; non autem excommunicatio per se ullo temporali jure, bonoque privet.

Dico III. *Privata & civilis communicatio, quae in quotidiana consuetudine consistit, cum excommunicatis vitandis interdicta est.*

Prob. ex *cap.* 29. *de sententia excommunicationis*, ubi prohibetur, ne quis cum excommunicato communicet, etiam in his quae pertinent ad quotidianam consuetudinem: ut salutare, convivari, hospitio excipere. Expedit enim, ut excommunicatus hoc civili commercio privetur, 1. ut pudore victus resipiscat; 2. ne aliis offendiculo sit; 3. ad exemplum, & terrorem aliorum.

Hinc 1. Non licet excommunicato vitando communicare in civilibus cum fidelibus, nec fidelibus cum eodem. 2. Tolerato ipsi solum est illicita communicatio, quoties ultro id faciat.

Q. *Quinam sint casus, in quibus non licet fidelibus cum excommunicato vitando communicare?*

R. Sunt quinque in hoc notissimo versiculo comprehensi:

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Per *Os*, intelligitur vetita omnis communicatio, per verba, signa, nutus, episto-

ſtolas, amplexus, nuncios, &c. *Orare* prohibet communicationem in orationibus, & divinis Officiis; *vale* vero omnem ſalutationem honorandi cauſſa. *Communio* prohibet omnem ſocietatem in contractu, opere, itinere, ludo, habitatione &c. *Menſa* vetat communicationem in cibo, & potu.

Nota. Interdictum de vitandis excommunicatis in tecto, menſa, ſalutatione, oſculo, intelligitur prout haec ſunt voluntaria, ac voluntariae neceſſitudinis indicia. Ceterum in hoc ſecundario excommunicationis effectu, ac veluti ejuſdem appendice locum habet moralis neceſſitatis exceptio, ita ut extra divina Officia cum vitando communicare liceat in caſibus a jure exceptis, & in illo verſiculo ſupra expoſito comprehenſis: *Utile*, *lex*, *humile &c.*

§. X.
De Privatione eccleſiaſticae Sepulturae.

Nota. Sepultura eccleſiaſtica, ſeu in loco ſacro eſt vel in templo, caemeterio, clauſtro, vel alio loco deputato ad divina Officia celebranda.

Prop.

Excommunicati vitandi eccleſiaſtica ſepultura poſt mortem privantur.

Prob. ex *cap.* Sacris, *de ſepulturis*, ubi dicitur *excommunicatos privari eccleſiaſti-*

ea sepultura, ut quibus non communicamus vivis, nec communicemus defunctis.

Hinc I. Si excommunicatus vitandus sepultus fuerit in loco sacro, & ab aliis cadaveribus secerni possit, exhumandus est, & foras projiciendus, & locus sacer reconciliandus; cum per ejus sepulturam pollutus sit.

II. Si vero excommunicatus decesserit cum poenitentiae signis, non est extumulandus, sed absolvendus, petita absolutione ab herede.

III. Peccant graviter, & ad minus incurrunt excommunicationem minorem qui comitantur vitandum ad sepulturam, Clerici canentes &c. Qui ejusmodi excommunicatum sepeliunt propriis manibus, incurrunt excommunicationem majorem: quam poenam aliqui extendunt ad mandantes, & procurantes.

IV. Sepelientes excommunicatum toleratum non peccant, neque excommunicationem incurrunt; quia possumus communicare defuncto, cui permissum erat vivo communicare; dummodo tamen ante mortem poenitentiae signa dederit: aliter sepultura concedi non debet, non quia excommunicatus decessit, sed quia impoenitens mortuus est.

Q. *Quinam sint effectus per accidens excommunicationis?*

R. 1. Irregularitas, quam incurrit excom-

communicatus, qui exercet actum Ordinis: 2. suspicio haeresis, quam contrahit, qui per annum in censura insordescit: 3. juxta aliquos privatio effectus absolutionis generalis, quae in rescriptis Pontificiis praemitti solet.

§. XI.
De Excommunicatione ob percussionem Clerici.

Cum inter omnes excommunicationes a jure latas ea quae incurritur ob percussionem Clerici, vel Monachi, sit valde frequens; idcirco operae pretium esse duximus, ut de ea singillatim agamus. De ceteris vero excommunicationibus Episcopis, & Papae reservatis, consule dicenda in *Tract. de Poenitentia* §. *VIII. De Reservatione*.

Habetur haec excommunicatio *Can.* 17. *q. IV. cap.* 29. his verbis: *Si quis suadente Diabolo, hujus sacrilegii reatum incurrerit, quod in Clericum, vel Monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat: & nullus Episcoporum illum praesumat absolvere, nisi mortis urgente periculo, donec Apostolico conspectui praesentetur, & ejus mandatum suscipiat.*

Q. I. *Quosnam comprehendat vocula illa* si quis?

R. I. Hac voce *si quis* comprehendi omnes utriusque sexus, cujusvis ordinis, ac di-

dignitatis personas, quae censurae capaces sunt; neque ab hac Canonis excommunicatione eximitur, qui percutit Clericum, vel Monachum consentientem in sui percussionem; quia licet ei, utpote qui juri suo cedat, personaliter injuriam non faciat, facit tamen injuriam Ordini Clericali; cum ille Canon non tam in favorem Clerici particularis, quam in favorem Ordinis Clericalis fuerit promulgatus, *Cap. 36. de sententia excommunicationis*. Idem probabilius dicendum contra paucos de Clerico se ipsum percutiente ex ira, vel desperatione ob eandem rationem. Secus, si Clericus mortificationis caussâ, aut ob dolorem de morte amici conceptum se flagellet, capillosve sibi evellat.

R. II. Comprehendi etiam mandantes, consulentes, consentientes, auxilium praebentes, effectu sequuto, ut statuitur *cap.* Mulieres §. illi, *De sent. excommunicationis*. Item non impedientes, si ex officio ad hoc teneantur. Num vero qui ex caritate impedire hanc percussionem tenent, & dolose permittunt, hanc excommunicationem contrahant, disputant Theologi. Affirmant multi auctoritate innixi *cap.* Quantae, *De sententia excommunicationis*, ubi haec habentur: *Eos delinquentibus favere interpretamur, qui, cum possint, manifesto facinori desinunt obviare*. Negant contra plures alii, praesertim si ob timorem, vel ve-

verecundiam negligant impedire.

R. III. demum comprehendi qui ratam habet percussionem Clerici suo nomine factam; quamquam ad illam auxilium, mandatum, consilium non praebuerit: idque colligunt Doctores ex *cap.* Cum quis, *de sent. excommun. in 6.* quia in hac peculiari censura ratihabitio mandato aequiparatur.

Nota I. Tres conditiones requiruntur, ut ratihabitio mandato aequivaleat, 1. ut ejus nomine sit facta percussio, judicante percussore illi gratam futuram: 2. ut exterius signo sensibili prodat suam adprobationem: 3. ut quando percussio exsecutioni demandata est, fuerit ipse habitualiter aptus ad praebendum mandatum, vel consilium; quia si tunc fuisset amens, eam non incurreret.

Nota II. Illud *suadente diabolo* significat percussionem, quae sit peccatum mortale ratione injuriae personae clericali irrogatae.

Q. II. *Quis nomine* Clerici, *vel* Monachi *intelligatur?*

R. I. Omnes Clerici, etiam prima Tonsura insigniti; hi enim veri Clerici sunt ex *cap. XI. de aetate, & qualitate Ordinandorum.*

Sed ab hoc Canonis privilegio excluduntur, 1. qui abjectis vestibus ecclesiasticis, negotiis secularibus sese immiscent,

& ter a Superiore moniti, non corriguntur: 2. qui dimisso habitu clericali, tyrannidi, & enormitati, id est seditioni, vel latrociniis, & iniquis bellis se inserunt, *cap.* Perpendimus, *de sententia excom.* 3. qui per annum exercent artem ignominiosam ludionis, mimi, parasiti.

4. Exercentes publice officium lanionis, aut cauponis, & ter moniti non cessent. 5. Qui degradati sunt realiter; secus, si verbaliter tantum degradati sint: multo minus si sint solum irregulares, suspensi, aut excommunicati etiam vitandi; hi enim non desinunt Clerici esse, & ut tales habentur. 6. bigami. 7. conjugati, qui nec habitum gestant, nec alicui Ecclesiae ministrant.

R. II. Nomine *Monachi* comprehenduntur omnes utriusque sexus Religiosi, quin & eorum Conversi, & Novitii. Item Equites Melitenses; sunt enim veri Religiosi propriis votis ligati. Item Eremitae, si subjecti sint alicui regulae, vel Superiori.

Q. III. *Quid significetur per* manus violentas?

R. Quaevis injuriosa, seu contumeliosa actio exterior, mortalis, circa Clerici personam, vel res ei adhaerentes; sive fiat immediate absque instrumento, ore, manu, pede, sive fuste, gladio, veneno.

Hinc resolves, hanc excommunicationem incurrere 1. eum qui in Clericum pulve-

verem, ſputum, aquam, pileum per injuriam projicit; qui ejus veſtimenta lacerat, eripit aliquid per vim, & injuriam de ejus corpore, puta pileum, pallium. 2. Qui Clericum in carcerem detrudit, vel violenter detinet in loco, unde ſine dedecore non poteſt exire. 3. Qui illum inſequitur, ut in flumen, vel in foſſam incidat. 4. Qui equum, cui Clericus inſidet, laedit, fraenum infringit, & vi ſiſtit; quia actiones iſtae aut perſonam, aut ejuſdem honorem laedunt, & dedecorant. Contra vero excommunicationem non incurrit, 1. qui tantum verbis Clericum offendit, aut lapidem injicit, ut illum laedat, reipſa tamen nec illum, nec rem ei adhaerentem tangit: 2. Qui pallium, crumenam per furtum ab eo abſcindit; quia actiones iſtae nullam vim perſonae, & dignitati inferunt.

Q. IV. *Quaenam cauſſae excuſent injicientes manus violentas in Clericum ab incurrenda excommunicatione?*

R. Plures jam ſupra de cenſuris in genere indicatae ſunt, videlicet ignorantia juris, & facti, juſta defenſio, & cetera omnia, quae a gravi culpa eximunt.

Hinc I. qui percutit Clericum ex defenſione inculpata ſui, vel rerum ſuarum, non incurrit excommunicationem; quia *vim vi repellere in continenti, omnes leges, omniaque jura permittunt*, *cap.* III. *de*

ſent.

sent. excommun. Sed hic servandum inculpatae tutelae moderamen, intra quod sistere censetur, qui id solum facit, sine quo aliter se aut res suas servare non potest. Qui tamen aliqualiter justae defensionis modum excederet, ex ea commotione, quae in hoc casu, invitis etiam nobis, irrepit, non incurreret censuram.

II. Immunis est a censura, licet non a culpa, qui Clericum turpiter tractantem propriam uxorem, matrem, sororem, filiam, percutit, sive ut vindicet injuriam, sive ut a crimine avertat; dummodo percutiat illum in ipso crimine, vel continuo post, etiamsi cum eisdem non fornicetur, sed solus cum sola in loco suspecto reperiatur; quia difficultas temperandi dolorem, & impetum vindictae aliquid meretur indulgentiae. Secus si percussio non fiat in continenti, vel percutiat inventum cum alia conjuncta, sed non cum consanguinea in primo gradu. Similiter libera est a censura mulier, quae ipso facto sollicitata a Clerico ad turpitudinem, illum violenta percussione rejicit, quando solis verbis non potest.

III. Magistri, Praelati, parentes subditos Clericos in minoribus constitutos correctionis titulo percutere valent; habita ratione culpae, & excluso semper excessu. Imo Praelatus, & praeceptor ecclesiasticus

cus possunt castigare Clericum in majoribus Ordinibus constitutum, *cap.* Ex tenore, *de sent. excom. in 6.* modo per se, vel per alium Clericum, si necessitas urgeat, castiget, non tamen per laicum; alioquin contrahitur excommunicatio. An idem possit pater, in utramque partem probabiliter disputatur: affirmativam sententiam tenet *Concina*, qui docet, *posse parentes filios Clericos, etiam in sacris constitutos punire, vinculis ligare, in carcerem detrudere, detinere, & ea omnia exercere, quae opportuna prudenter judicantur ad illorum correctionem.*

IV. Denique si pueri clerici mutuo rixantes, pugnis, alapis se percutiant, licet e naribus guttae sanguinis fluant, excommunicatione non innodantur; secus si scholastici clerici puberes ex odio, seu gravi ira se percusserint.

Q. V. *Quis possit ab hac excommunicatione absolvere?*

R. Haec excommunicatio de jure communi reservata est Romano Pontifici; possunt tamen Episcopi, & alii superiores multis in casibus ab eadem absolvere. Ad cujus intelligentiam haec sunt adnotanda.

I. Triplex distinguitur Clerici percussio, *enormis*, *mediocris* seu *gravis*, & *levis*: ut colligitur ab Extravaganti, *Perfectis*, relata a *Navarro in Manuali cap. 27. num. 91.*

II. *Enor-*

II. *Enormis* seu *atrox* habetur 1. ex gravitate percussionis, ut si Clericum occidas, mutiles, aut ei grave vulnus infligas. 2. Ex gravitate injuriae irrogatae; unde licet aliquando percussio in se sit levis, censetur tamen enormis, quia est Clerico valde injuriosa: quod dijudicari potest ex variis circumstantiis; puta 1. ratione personae offensae, ut si Episcopum, vel Praelatum percutias: 2. ratione personae laedentis, ut si officialis laicus auctoritative Clericum laedat: 3. ratione temporis, si Sacerdotem sacris vestibus indutum ferias: 4. ratione loci, nempe si percussio fiat in Ecclesia, vel platea: 5. ratione scandali, si Monachus cum gravi scandalo Clericum secularem percutiat.

III. *Mediocris* vel *gravis* censetur illa, quae levem inter, & enormem media incedit: ut si praecisis aliis circumstantiis, Clerico extrahatur dens, vel capillorum copia evellatur, aut si fiat sugillatio carnis, qua sanguinis copia effunditur absque gravi laesione, vel injuria.

IV. *Levis* denique percussio dicitur illa, quae opponitur enormi, & mediocri, non quae sit tantum culpa venialis, ob quam nulla incurritur excommunicatio: sed quae intra latitudinem peccati mortalis est infima; ut si, praecisis aliis circumstantiis, Clericum percutias palma, pugno, baculo sine sugillatione carnis, & multi san-

ſanguinis effuſione &c. quae omnia ad arbitrium viri prudentis dijudicanda ſunt. His poſitis,

Dico I. *Valere Epiſcopos abſolvere ab excommunicatione contracta ob Clerici percuſſionem, etiam publicam; dummodo percuſſio levis ſit.*

Prob. Ita Doctores communiter ex *cap.* Pervenit, *de ſent. excom.*

Dico II. *Poſſe quoque Epiſcopos in multis caſibus ab eadem cenſura abſolvere; etiamſi gravis, vel enormis fuerit Clerici percuſſio.*

Prob. enumeratione caſuum, quibus Doctores communiter ex pluribus textibus *de ſent. excom.* in Epiſcopis hanc facultatem agnoſcunt.

I. A percuſſione gravi, dummodo non ſit enormis, poteſt Epiſcopus abſolvere, 1. Clericos collegialiter viventes, 2. officialem, qui cauſsâ arcendi turbam Clericum percutiat. 3. Praelatus regularis poteſt abſolvere ſuos Religioſos invicem ſe percutientes, dummodo percuſſio non ſit enormis. 5. Si Religioſus Clericum ſecularem percuſſerit, non poteſt abſolvi, niſi ab Epiſcopo, vel a Papa, ſi percuſſio fuerit enormis.

II. Valent abſolvere feminas a quacunque Clerici percuſſione etiam publica, & enormi, ex *cap.* Mulieres, *de ſent. excom.* Idem eſt de impuberibus, etiamſi petatur abſolutio poſt pubertatem.

III.

III. Clerici percussor potest ab Episcopo absolvi, etiamsi percussio sit enormis, quando delictum est occultum, nec ad forum contentiosum deductum. Item si percussor ex impotentia physica, vel morali non possit Romam accedere per seipsum, quamvis possit per alios; cum obligatio adeundi Pontificem sit personalis. Ceterum a percussione mediocri, vel enormi, si est publica, potest absolvere tantum Papa, aut alius, qui gaudeat Pontificia auctoritate, ut Legatus a latere, vel Legatus missus ad aliquam provinciam.

§. XII.

De Excommunicatione, quae contrahitur ex Monitorio in finem revelationis.

Nota. Monitorium est mandatum Ecclesiae, quo sub excommunicationis poena praecipitur factum aliquod revelari.

Q. I. *Quinam monitionem in finem revelationis concedere possit?*

R. Solus Episcopus eam decernere valet, idque pro re non vulgari, & caussa diligenter examinata ex Trid. *sess. XXV. cap. 3. de Reform.* Hinc colligit doctissimus *Colet* graviter peccare, tum qui levibus de caussis monitoria petunt, tum judices, qui sic concedunt. In hac Neapolitana Dioecesi, teste *Genuense* in sua *Praxi*, excommunicatio non publicatur, nisi pro

aureis

aureis ſaltem quinquaginta, quando damnum paſſus non eſt pauper, & in paupere aliquando etiam pro decem.

Inſuper peccat judex monitoria concedendo, quando res poteſt aliter probari, vel ſi praevideatur populum illa contemturum. Item ſi debitores non ſint ſolvendo, aut ſi res ſit adeo antiquata, ut non ſit qui revelet. Item ſi delictum factum ſit coram iis, qui non tenentur revelare.

Q. II. *Quinam teneantur revelare?*

R. Omnes Dioeceſani, qui ſubjacent Epiſcopo monitorium concedenti, tenentur revelare ſtatim ac monitorii notitiam habent; niſi jure eximantur a revelando: illi enim ſuo Epiſcopo generaliter praecipienti parere tenentur.

Q. III. *Quinam facto monitorio excuſantur a revelando?*

R. I. In Monitoriis, in quibus agitur de bono publico fidei, vel Religionis, aut de communi bono reipublicae, nemo liber eſt a revelando, niſi ſceleris auctores, aut ſocii. Quia quiſque bonum publicum fidei, vel reipublicae cuique bono privato anteponere debet. Unde illud effatum: *Contra publicos hoſtes, & majeſtatis reos omnis homo miles*. Hinc ſi agatur de crimine haereſis, laeſae majeſtatis, filius contra patrem, uxor contra maritum, & viciſſim revelare debent.

Excipiuntur ſceleris auctores, aut ſocii;

cii; quia nemo reus tenetur prodere seipsum, nec sceleris socios, cum hoc esset idem, ac seipsum prodere; etsi teneatur ad criminis sui reparationem, quam per alios, praecipue vero per Confessarium praestare facile potest. Ita monet *Petrus Colet*.

R. II. In ceteris monitoriis ex communi sententia non tenentur ad revelandum, qui denunciare non possunt, 1. absque aliqua sui diffamatione, 2. sine gravi detrimento, 3. sine secreti naturalis diffamatione, 4. ex quorum revelatione nulla exorietur utilitas: uno verbo, quibus sub mortali praecipi nequit, ut revelent. Quia leges humanae ordinarie non obligant cum gravi incommodo, seu damno; multo minus ad violandum jus naturae, vel ad subeundam gravissimam excommunicationis poenam pro peccato non admisso, vel veniali; quae mala sequerentur, si Ecclesia intenderet obligare ad revelandum in recensitis casibus.

Hinc I. non teneris denunciare parentes, fratres, filios, conjugem, consanguineos, vel affines usque ad secundum gradum juxta aliquos, & juxta plures, usque ad quartum gradum: tum quia ordinarie id fieri nequit sine aliqua propria infamia, adeoque sine gravi incommodo ob revelantis conjunctionem; tum quia facile ex tali revelatione orirentur odia, & dissensiones in fa-

familiis; nec praesumi potest, rem ita odiosam exigi ab Ecclesia. Idem docent de famulis, & domesticis contra dominum; id enim vulgo sine gravi detrimento praestare nequeunt: secus, si agatur de crimine privilegiato, puta de haeresi &c.

II. Si delictum audieris caussâ petendi a te consilium, ut Advocatus, Theologus, Medicus; quia ad bonum commune spectat, quod homines secure petant consilium, ne detur occasio errandi; unde intentio judicis non est, ut reveles contra legem naturalem servandi secretum.

III. Si scias detentorem rei alienae impotentem esse, ut restituat, & a fortiori si legitima usus est compensatione, praescriptione; quia rem, quae culpa vacat, in damnum vocari non convenit.

IV. Si delictum audieris ab ignotis, nec fide dignis hominibus, vel tuum testimonium probare non possis; quia ad actum inutilem nemo tenetur.

V. Si peccatum sit occultum, & emendatum, nec habet effectum in futurum; quia sic cessat omnino finis illius praecepti, excepto haeresis crimine.

Q. IV. *Qui facti in Monitorio contenti notitiam habet, tenetur ne statim post primam monitionem revelare?*

R. Affir. nisi legitima caussa moram permittat, quia quilibet Ecclesiae praecipienti, in materia praesertim gravi, quam pri-

primum obedire tenetur; quia ex dilatione revelationis saepius sequitur grave laesae partis detrimentum; puta, quia dum procrastinatur, res furto ablatae absconduntur, aut debitor fugam arripit.

Obligatus ad revelandum, si intra tempus in monitorio praefixum non revelaverit, graviter peccat, & excommunicationem latam contrahit, remanetque obligatus ad revelandum, quamdiu conjicere potest, eam utilem fore; quia terminus in monitorio appositus est ad sollicitandam, non vero finiendam obligationem.

Dixi, *nisi caussa legitima moram permittat;* quia posita legitima caussa, censeris impeditus. Hinc non peccas, si caussa petendi consilium, quo indiges, ut scias ad quid tenearis, non statim intra terminum praescriptum reveles.

Q. V. *An obligatus revelare ex monitorio, si non revelet, teneatur tertio damnum restituere?*

R. Juxta multos non tenetur; quia talis revera non peccat contra justitiam commutativam, sed contra legalem, vel obedientiam, quae non obligat ad restitutionem.

CAP.

CAP. III.

De Suspensione.

§. I.

Quid, & quotuplex sit Suspensio?

Prop.

Suspensio est Censura ecclesiastica, per quam Clericus privatur usu officii, aut beneficii, aut utriusque simul.

Prob. 1. Appellatur *Censura*, ut distinguatur ab ea prohibitione, qua Sacerdos aliquando interdicitur a Confessario, ne celebret, quia indignus. 2. *Clericus* in definitione positus, non laicus, subjectum hujus censurae designat. 3. *Per quam privatur usu officii &c.* haec verba produnt discrimen inter suspensionem, & excommunicationem minorem; quia haec privat tantum usu passivo Sacramentorum, illa vero activo, aliisque functionibus ecclesiasticis. Insuper Suspensio differt ab excommunicatione majori; quia haec privat his functionibus, quatenus sunt quaedam *communicationes cum fidelibus*; illa vero privat, quatenus sunt *functiones Clericales*. Demum dif-

differt ab interdicto: quia hoc prohibet interesse talibus functionibus, ideoque afficit laicos; illa vero tantum prohibet eas exercere, ideoque solos afficit Clericos.

Suspensio aliquando in jure accipitur pro cujusvis officii, & dignitatis usu, & exercitii privatione: juxta quam significationem valde amplam Officiales, Abbatissae, Priorissae ab officio suspenduntur.

Q. *Quotuplex sit Suspensio?*

R. Suspensio alia est *a jure*, alia *ab homine*, ut est omnis censura: illa a jure incurritur ipso facto, seu ipsa commissione criminis, si verba legis omnem judicis actionem excludant, ut si dicat: *Suspenditur*, *maneat ipso facto suspensus*. Contra ferendae sententiae, si judicis sententiam requirat, ut infligatur; idcirco haec verba: *qui hoc fecerit*, *suspendatur*, significant suspensionem ferendam. Quae ab homine est, licite non fertur, nisi in scripto, in quo caussa, & species censurae exprimatur, praecedente etiam monitione, sine qua Suspensio est irrita. Hinc quando Episcopus subdito verbis tantum prohibet, ne celebret, non praesumitur ea esse vera censura, sed pura poena censurae effectus non ferens.

Rursus Suspensio alia est *ab officio*, alia *a beneficio*, alia demum *ab utroque* simul, quae in totum, seu totalis nuncupari solet.

In-

Inſuper dividitur in eam, quae eſt *ab ordine* tantum, per quam Clericus privatur uſu ſuorum ordinum, ita ut ei non liceat Sacramenta miniſtrare, celebrare; & in eam, quae ſolum eſt *a juriſdictione*, ita ut non liceat ei cenſuras ferre, inſtituere, delegare &c. & in eam, quae eſt *a beneficio* tantum, quae privat ſolum fructibus beneficii.

Hae tres Suſpenſiones partiales ſubdividuntur in plures alias partiales. Nam ſuſpenſio poteſt eſſe tantum a parte officii, ſeu aliqua tantum functione ſive ordinis, ſive juriſdictionis, vel a ſolo munere audiendi Confeſſiones. Similiter in beneficio aliquando quis ſuſpenditur a quotidianis diſtributionibus, aut a dimidia fructuum parte.

Dividitur etiam Suſpenſio ex parte temporis in *temporalem*, & *perpetuam*. Temporalis eſt ad menſem, ad annum; perpetua nulla duratione limitatur. Denique Suſpenſio ferri poteſt vel abſolute, vel ſub conditione, vel per modum merae poenae in vindictam criminis praeteriti, vel per modum medicinae, ut Clericus reſipiſcat.

§. II.
De Effectibus Suspensionis.

Nota I. Suspensionis effectus alii sunt *per se*, nempe privatio officii, vel beneficii, vel utriusque: alii *per accidens*, de quibus infra.

Nota II. Nomine *officii* intelligitur omnis potestas spiritualis sive ordinis, sive jurisdictionis, sive administrationis ecclesiasticae. *Beneficii* vero nomine venit jus perpetuum ad ecclesiasticos proventus vi spiritualis tituli percipiendos.

Q. *Quaenam regula assignetur ab Auctoribus, ut qualis, & quanta sit suspensio cognoscatur?*

R. Consideranda sunt verba, quibus fertur Suspensio, & quae stricte accipi debent, utpote in materia odiosa. Hinc

Dico I. Si verba legis sint absoluta, & indefinita, nec distinguunt; puta si absolute dico: *Suspendatur:* intelligitur tam ab officio, quam a beneficio; cum nulla sit ratio, cur potius ad unum, quam ad aliud limitetur.

Dico II. Si Suspensio sit tantum ab officio, & absolute proferatur, puta si dicatur: *Sit ab officio suspensus;* intelligitur ab omni actu officii sive ordinis, sive jurisdictionis, sive cujuscunque ecclesiastici ministerii, quod a solo Clerico exerceri potest.

Di-

Dico III. Si Suspensio lata sit determinate ab aliquo officio, vel ejus actu, intelligitur de illo, qui exprimitur, vel cum ipso necessario connectitur. Ita communiter.

Hinc resolves sequentes casus in Suspensione ab officio. I. Suspensus absolute ab officio, non est suspensus a beneficio: sicut suspensus a beneficio, non est suspensus ab officio; quia in jure hae duae suspensionis species diversae sunt. Ergo si judex suspendere ab utroque velit, ambo exprimere debet.

Nota 1. Suspensus ab officio debet per alium supplere, quod per se nequit, ut beneficii fructus percipiat. 2. Suspensus a beneficio non solum potest, imo tenetur recitare divina Officia &c. quia poena non eximit ab onore beneficii.

II. Suspensus absolute ab officio, privatur 1. ab omni usu ordinis, ita ut non possit Sacramenta ministrare, celebrare, canere solemniter epistolam, evangelium, exercere divina officia, qualiter a Clerico prout Clericus est, exercentur; quia sunt actus ordinis: 2. usu jurisdictionis, ut est ferre censuras, indulgentias impertiri, absolvere, sententias ferre, vel etiam haec delegare; quia actus sunt ecclesiasticae jurisdictionis: 3. usu munerum pontificalium, ut conficere chrisma, Ecclesias consecrare, virgines benedicere; quia haec ministeria

a clericali potestate pendent. Contra suspensus omnia ministeria, quae a clericali potestate non pendent, exercere valet. Hinc potest Sacramenta recipere, divinis assistere &c.

III. Suspensus simpliciter ab ordine, non est suspensus a jurisdictione. Hinc Episcopus suspensus ab ordine tantum, potest exercere omnes actus jurisdictionis ad ordines non pertinentes: puta aliis concedere facultatem absolvendi a peccatis, etsi ipse absolvere a peccatis non possit; quia ad impertiendam a peccatis absolutionem requiritur Ordo, non vero ad eam facultatem concedendam.

IV. Suspensus absolute ab ordine, privatur actu cujuscunque ordinis.

V. Suspensus ab ordine superiori, non est suspensus ab ordine inferiori: puta Sacerdos, qui praecise suspenditur ab ordine sacerdotali, non est suspensus a diaconatu, & aliis inferioribus ordinibus. Nam qui prohibet majus, prohibere minus non censetur. Contra juxta aliquos suspensus ab ordine inferiori, remanet suspensus a superiori ordine. Sed examinanda sunt verba legis, utrum censura feratur in eum, qui absolute est indignus sacro ministerio; an vero in eum, qui ob delictum non sufficiens ad tollendum majus puniatur in minori. Si primum, utique verum est suspensum ab ordine inferiori, a superiori etiam

re-

remanere suspensum: secus, si secundum.

VI. Suspensus a pontificalibus, non potest chrisma conficere, Confirmationis sacramentum administrare, consecrare Ecclesias, ordinare: at potest exercere quae sunt ordinis mere sacerdotalis; ut Missam celebrare &c.

VII. Suspensus a collatione Ordinum, nullum Ordinem conferre potest. Contra suspensus a collatione primae Tonsurae, non remanet suspensus a collatione Ordinum, ex *cap. IV. de Temporibus Ordinationum in 6.*

VIII. Suspensus absolute a jurisdictione, privatur omni usu spiritualis jurisdictionis, & actu ordinis, qui exerceri absque jurisdictione nequit: cujusmodi sunt absolutio sacramentalis, & collatio Ordinum. Hinc potest sic suspensus celebrare, sacramenta alia ministrare; nisi tamen ea ex officio administret, ut Parochus: quia tunc actum jurisdictionis exercet, qua privatus est. Si suspensio sit a determinata parte jurisdictionis, non privat altera ex parte: ut si Parochus sit suspensus ab excipiendis Confessionibus, potest celebrare, & alia Sacramenta ministrare.

§. III.
De Suspensione a beneficio.

I. Suspensus a beneficio, non privatur ipso beneficio, quod jure possidebat; sed fructibus ejus, & quidem ante judicis sententiam.

Nomine fructuum beneficii veniunt emolumenta illa, quae ratione beneficii percipiuntur: ut oblationes, proventus agrorum, pensiones aedium locatarum. De distributionibus quotidianis, quae dantur pro assistentia in Choro, disputant Theologi, an veniant nomine fructuum beneficii. Pro more alii negant, alii affirmant, alii demum sic distinguunt: si distributiones extractae sint a fructibus beneficiorum, affirmant; secus, negant.

Inter fructus beneficii ejus administratio computatur. Quare suspensus a beneficio, nequit aedes beneficii locare, fructus vendere, pro eo vel per se, vel per alium in judicio agere, aliamve actionem praestare, quae ad temporalem administrationem pertinet; ideoque suspenso a beneficio oeconomus assignandus est, ut habetur *cap.*1.§.*ult. de Elect.in 6.* Item nequit beneficium permutare, aut in favorem alterius resignare; quia hi sunt quidam usus beneficii. Contra sic suspensus non privatur potestate eligendi, aut alio ju-

jure, quod sit beneficio adnexum; quia potestas eligendi &c. etsi oriatur ex beneficio, non est tamen usus beneficii, sed officii ex beneficio competentis.

II. Suspensus absolute a beneficio, intelligitur de omni beneficio exsistente in suspendentis territorio.

Disputatur, an absolute suspensus, intelligi debeat etiam de aliis beneficiis, quae actu possidet in diverso territorio. Dico posse quidem Clericum sic suspendi; quia etsi plura beneficia in variis dioecesibus exsistentia uni Episcopo non subjaceant; ei tamen subjicitur, qui ea omnia possidet, ac proinde ex omnibus suspendi potest, si mereatur. Utrum vero Suspensio indeterminata sic debeat intelligi, pendet ab intentione superioris, quae ex circumstantiis colligi potest.

III. Suspensus determinate ab aliquo beneficio, intelligitur solum de illo quod exprimitur.

Q. I. *An suspensus a beneficio, sit inhabilis ad aliud beneficium suscipiendum?*

R. Communiter docent, non esse inhabilem: unde si novum beneficium ei conferatur, hujusmodi collatio erit valida; quia non est privatus jure radicali ad beneficia: quamvis illicita erit hujusmodi collatio, quia inconveniens est, ut novum beneficium ab Ecclesia conferatur ei, quem censuit indignum.

Q. II. *Quinam sint effectus* per accidens *Suspensionis?*

R. I. Peccatum mortale, in quod incidit, qui suspensionem violat; nisi materiae parvitas excuset. Ut si suspensus ab ingressu Ecclesiae, in eam paullisper introeat, quo tempore divina officia recitantur.

II. Irregularitas, quae contrahitur ob violationem suspensionis ab Ordine sacro, ejus officium solemniter exercendo, *ex cap. I. de sent. excom. in 6.*

Haec poena hoc solum casu incurritur, quia nullibi contra alias cujuscunque suspensionis violationes decreta leguntur. Unde ob violationem suspensionis a beneficio, vel a jurisdictione, nulla contrahitur irregularitas. Ideoque suspensus a jurisdictione, si conferat beneficium, eligat, proferat sententiam, quamvis peccet, non fit irregularis; nisi simul exerceat actus ordinis, puta sacramentaliter absolvendo.

Dixi 1. *ab Ordine sacro*. Unde si suspensus in Ordinibus minoribus solemniter ministret, irregularis non est: quia officia horum Ordinum exercentur etiam a laicis.

Dixi 2. *Ejus officium solemniter exercendo.* Unde si Subdiaconus ab officio suo suspensus, in Missa cantet epistolam sine manipulo, irregularitatem non incurrit; quia non censetur ex officio canere. Ita multi.

Con-

Controvertitur, an qui violat suspensionem ab ordine latam ad tempus determinatum, in irregularitatem incidat.

Alii negant; quia suspensio lata ad tempus determinatum se habet per modum purae poenae, quae irregularitatem non inducit. Alii affirmant, idque conantur ostendere ex *cap. I. de sententia & re judicata*: ubi quidam cum fuerit suspensus ad tempus, eo quod ministraverit, fuit expresse declaratus irregularis. Alii denique probabilius ita distinguunt: si suspensio lata fuerit per modum statuti, aut praecepti ob crimen futurum, vel etiam praeteritum, sed tractum habens successivum; tunc suspensionis violator incurrit irregularitatem, ut patet ex textu laudato. Secus, si suspensio lata sit ab homine non per sententiam ob meram punitionem criminis omnino praeteriti; quia hujusmodi suspensio habet rationem merae poenitentiae, non censurae.

III. Annullatio actus ab ipso suspenso praestiti: quae poena solum habet locum in iis, quae pendent ab ipsa Ecclesia, uti est jurisdictio, & beneficium. Hinc suspensus a jurisdictione invalide absolvit, si sit denunciatus nominatim; valide, si non sit denunciatus: & etiam licite, si sit requisitus, ex Const. *Ad evitanda*. Similiter dicendum de suspenso a beneficio.

Nota. In extrema necessitate, & in

casu, quo adsit error communis cum titulo colorato, acta per suspensum denunciatum sunt valida, prout alibi diximus.

Q. III. *An peccet qui a suspenso petit exercitum illius officii, a quo est suspensus?*

R. Cum dist. Vel suspensus est nominatim denunciatus, vel non. Si primum, peccat per se loquendo mortaliter; quia petit aliquid illicitum contra prohibitionem Ecclesiae, ejusque censuram. Nam ideo judex ecclesiasticus suspensum denunciat, ut vitetur in his actibus, a quibus est suspensus. Verum nullam incurrit censuram, vel irregularitatem; quia nullibi est expressa. Si secundum, justa de caussa licet, prout habetur in Const. *Ad evitanda*.

Q. IV. *Ob quam culpam ferri Suspensio possit?*

R. Regulariter loquendo non potest ferri, nisi ob culpam gravem propriam. 1. Quia Suspensio gravis poena est, quae pro peccato veniali, omnibus circumstantiis inspectis, infligi nequit. 2. Quia suspensio, quae proprie est poena privans jure quaesito proprio, non potest contrahi ob culpam alienam, sed propriam.

Dixi 1. *Regulariter loquendo ob culpam gravem*; quia suspensionem aliquam ad modicum tempus multi docent posse infligi ob culpam levem, & tunc culpae levi respondet poena levis.

Di-

Dixi 3. *ob culpam propriam:* quia aliquando suspenditur Capitulum ab actionibus capitularibus, & tunc suspensio privat a ministeriis & officiis, quae a communitate exerceri possunt; non vero ab actionibus, quas singuli, ut personae particulares, exercere possunt.

§. IV.
De Suspensionis Absolutione.

Q. I. *Quinam absolvere a suspensione possit?*

R. A suspensione lata ab homine contra aliquem nominatim absolvere potest solus qui illam tulit, vel ejus successor, vel superior, aut delegatus: ut est dictum supra de absolutione a censuris in communi. Si sit lata a jure, & non reservata, absolvere Ordinarius suspensi valet, aut ejus Vicarius. Item docent, posse Episcopum absolvere subditos a suspensione Papae reservata, si proveniat ex delicto occulto, & non sit deducta ad forum contensiosum.

Disputatur, an Parochus, vel simplex Confessarius possit absolvere a suspensionibus in jure latis, & non reservatis, sicut asseritur de excommunicatione non reservata. Negant aliqui, quia suspensionis absolutio non est necessario praemittenda absolutioni sacramentali. Contra alii affirmant ex generali regula, quod conditor

Canonis aliis relaxandi facultatem concessisse videtur, cujus absolutionem sibi specialiter non reservavit, *cap.* Nuper, *de sent. excom. in 6.* Addunt Confessarium ex concessione Ecclesiae posse a suspensione absolvere, saltem quando poenitens suspensionis incursae non est conscius, ne frustra a Confessario proferatur usitata in Ecclesia formula, quae sacramentali absolutioni praemittitur. *Te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti.*

Q. II. *Suspensio semel incursa quomodo tollatur?*

R. Cum dist. Si suspensio lata sit absolute, & sine determinatione temporis per modum censurae, tollitur per solam absolutionem: si vero lata sit ad tempus determinatum, puta ad mensem, vel sub conditione, elapso tempore, vel conditione impleta, suspensio cessat sine absolutione. Secus de excommunicatione, quae semel contracta non cessat, nisi per absolutionem; etiamsi lata sit sub conditione, puta *donec pars satisfacta fuerit*. Si vero suspensio lata sit in perpetuum ob culpam praeteritam, tamquam pura poena vindicativa, tollitur solum per dispensationem, vel relaxationem Praelati, vel ejus delegati; quia non est censura.

§.V.

§. V.
De Suspensionibus Juris in particulari, ubi de frequentibus contra Clericos.

Nota. Suspensiones, quae feruntur in jure contra Clericos, comprehendunt tam Clericos seculares, quam regulares prima saltem Tonsura insignitos; nisi peculiariter ad solos seculares clericos restringantur: non vero includunt Episcopos, nisi eorum fiat expressa mentio.

Q. I. *Quaenam sint Suspensiones juris frequentiores contra Clericos?*

R. Sequentes. I. contra recipientes Ordines sacros vel ab alieno Episcopo sine literis dimissoriis, vel a proprio in aliena dioecesi absque licentia Episcopi loci.

II. Contra illos, qui absque titulo vel beneficii, vel patrimonii, aut pensionis, aut professionis religiosae, sacros Ordines recipiunt, intercedente pacto cum Ordinante, aut praesentante de non petendo ab iis alimenta, *cap.* Per tuas, & *cap.* Si quis, *de Simonia*. Haec suspensio est in perpetuum ab Ordine sic suscepto, & est Papae reservata. Insuper Episcopus sic ordinans, manet suspensus a collatione Ordinum per triennium. Si autem hujusmodi pactum non intercesserit, probabilius docent incurri suspensionem non reservatam ab

eo, qui sine titulo sacris initiatur ex Trid. *sess. XXI. de Reform. cap.* 20. ubi antiquorum Canonum poenas super his innovavit.

In Dioecesi Neapolitana praesentantes falsum, fictum, vel fiduciarium patrimonium, aut quomodolibet fraudulentum pro Ordinibus suscipiendis, etiam pro prima Tonsura praeter casum reservatum cum excommunicatione, in quem incurrunt etiam ad hoc cooperantes, Clerici praesentantes incurrunt suspensionem ab exercitio susceptorum Ordinum Archiepiscopo reservatam, a qua non potest absolvere Confessarius, qui generalem facultatem habet absolvendi a reservatis.

Nota. Nomine patrimonii falsi, vel ficti intelligitur patrimonium nullum. Item nomine fiduciarii intelligitur, quod Clerico assignatur cum pacto illud restituendi post Ordines: quod pactum, seu promissio fit per antapocham. 2. Clericus renuncians beneficium, vel patrimonium, ad cujus titulum fuit promotus, non subrogato de licentia Curiae alio titulo, peccat, & renunciatio est invalida, & incurrit in suspensionem ipso facto ab exercitio Ordinum non reservatam, ex Synodo Pignatellana *par.* 2. *cap.* 8. *num.* 9.

III. Suspenduntur qui per saltum Ordines recipiunt, seu qui Ordinem superiorem recipiunt, omisso inferiori. Verum cum his, *modo tamen non ministrave-*

rint

rint in Ordine sic suscepto (nam alias fierent irregulares) *Episcopus ex legitima caussa potest dispensare* , ait Trid. *sess.* XXIII. *cap.* 4. *de. Reform.* Item suspenditur qui Ordines recipit, omissa clericali Tonsura, ex declaratione sacrae Congregationis apud *Colet* .

IV. Suspensio Papae reservata incurritur ab eo, qui majori excommunicatione, etiam occulta ligatus , culpabiliter Ordines sive majores , sive minores recipit, ex *cap.* Cum illorum, *de sent. excom.* Quidam hanc suspensionem extendunt ad recipientes Ordines in suspensione , vel interdicto : sed ex nullo textu id eruitur . Communiter vero eximunt recipientem Tonsuram in excommunicatione; tum quia Tonsura in odiosis non censetur Ordo, tum quia Tonsura non habet actum , a quo suspendatur.

Dixi , *qui culpabiliter Ordines recipiunt*. Quia hunc excusat tum ignorantia invincibilis, tum etiam aliquando gravis metus , ut de effectibus excommunicationis supra diximus.

V. Suspenduntur quoque recipientes Ordines sacros extra tempora a jure statuta .

VI. Recipientes Ordines sacros ante legitimam aetatem ex bulla *Pii II. Cum ex sacrorum* , ipso facto in perpetuum suspenduntur, & haec suspensio Papae reserva-

vatur: ubi nota 1. suspensionem hanc non incurri ab eo, qui bona fide ratus se canonicam aetatem habere, sacris initiatur. Hinc taliter ordinatus, completa aetate, potest sine ullo ad superiorem recursu susceptum Ordinem exercere. Imo juxta aliquos excusantur ab hac suspensione etiam qui ex ignorantia crassa, non tamen affectata ante legitimam aetatem ordinantur; quia in praefata bulla suspensio imposita est in temerarios, quales non sunt, qui peccant ex ignorantia crassa, prout diximus in *de Censuris in genere*. 2. Qui mala fide Ordines ante praescriptam aetatem susceperit, completa aetate, non potest Ordinem exercere, nisi absolvatur ab incursa suspensione; quia censura semel contracta, non tollitur nisi per absolutionem.

VII. Suspenduntur qui furtive Ordines suscipiunt, hoc est, qui non approbati inter ordinandos irrepserunt, aut alium suo nomine examini substituunt. Haec suspensio potest ab Episcopo absolvi; nisi Episcopus, ut in multis dioecesibus fieri solet, furtivam Ordinum susceptionem sub excommunicationis poena prohibuerit.

VIII. Lata est suspensio contra recipientes plures Ordines sacros eodem die. Item contra eos, qui per simoniam realem Ordines recipiunt. Item in illos, qui post contractum matrimonium, licet non consum-

summatum, aliquos de sacris Ordinibus praesumunt accipere.

Hi omnes recensiti Clerici in ordinatione peccantes, sunt suspensi ab exsecutione Ordinum: & si hujusmodi suspensione durante, in Ordinibus ministrare praesumserint, eo ipso irregularitatem incurrunt.

Enumerantur & aliae a jure suspensiones contra Clericos peccantes in exercitio sui ordinis, vel muneris; ut contra omittentes sine gravi caussa Missam incohatam, vel Missam celebrantes, & in ea non communicantes. Item contra Clericos concubinarios, vel crimen nefandum exercentes, vel provocantes ad duellum, vel acceptantes; contra raptores, vel praebentes auxilium. Tandem leguntur in jure suspensiones propriae Episcoporum, Capitulorum, Conventuum; de quibus vide Thelogos morales.

Q. II. *An mere suspensus ab Ordine quem habet, incurrat irregularitatem suscipiendo Ordinem superiorem?*

R. Neg. Quia ex nullo textu expresse colligi potest, hunc esse irregularem. Ita multi. Neque aliquid officit, si dicatur, quod qui recipit altiorem Ordinem, solemniter ministret in inferiori, a quo est suspensus: nam improprie dicitur ministrare in Ordine inferiori, qui recipit superiorem. Quare cum agatur de materia poenali, non censetur cadere sub le-

legem, quod nonnisi improprie verba legis comprehendunt.

Q. III. *An Clericus, qui in ipsa ordinatione suspenditur, eam indebite suscipiendo, irregularitatem incurrat, si in ipsa ordinationis Missa solemniter ministret, puta canendo evangelium, vel epistolam?*

R. Affirmat Tournely cum aliis; quia tum jam exercet Ordinem cum censura prius contracta. Sed alii negant; quia ille actus, moraliter loquendo, non est distinctus ab ipsa ordinatione; cum tota actio ordinantis a principio usque ad finem officii sit unus actus moralis, ad quem reliqui spectant.

APPENDIX

De Depositione, & Degradatione.

Suspensioni subjiciunt *Depositio*, & *Degradatio* ob affinitatem, quam habent cum illa; censurae tamen non sunt, cum non sint poenae medicinales, sed vindicativae: at instar suspensionis privant officio, & beneficio.

Q. I. *Quomodo definiatur Depositio?*

R. Est *poena ecclesiastica privans Clericum officio, & beneficio in perpetuum jure ordinario irremisibiliter*. Ita Doctores communiter ex *cap.* Cum non ab homine 10. *de Judiciis*.

Q.II.

Q. II. *Quid fit Degradatio?*

R. Degradatio dividitur in *verbalem*, & *realem* five actualem. Verbalis eft poena ecclefiaftica, qua Clericus in perpetuum privatur omni officio, ac beneficio clericali, retento folo privilegio canonis, & fori. Realis vero degradatio tunc dicitur, quando Clericus primo verbaliter degradatus, certa folemnitate expoliatur omnibus veftibus, & infignibus clericalibus, omnique privilegio clericali. Realis ergo degradatio verbalis degradationis exfecutio eft: una tamen ab altera diftinguitur, quia per verbalem degradationem Clericus adhuc retinet privilegium fori, & canonis; per realem vero eodem privilegio fpoliatur, & tranfit in poteftatem brachii fecularis. Ita Doctores communiter ex *cap.* Degradatio, *De poenis in 6.*

Utriufque poenae fubjectum eft Clericus; minifter vero depofitionis, feu degradationis verbalis eft quilibet fuperior habens jurifdictionem ecclefiafticam in foro externo, ex Trid. *feff. XIII. cap.* 4. Degradationis autem realis eft folus Epifcopus confecratus; quia eft actus ordinis.

Crimina, ob quae Depofitio fieri folet, funt quaedam atrociora, & fcandalofa; ut homicidium voluntarium, ftuprum, adulterium &c. Degradatio vero realis hodie non fit, nifi ob aliquod grande delictum, cui a jure communi ecclefiaftico, aut Ponti-

tificiis sanctionibus sit expresse & nominatim adnexa ejusmodi poena: ut sunt crimen haeresis, quod saltem sit in illa relapsus, & in ea pertinax, crimen falsi in literis Apostolicis, calumnia & contumelia gravis in proprium Episcopum. Sunt & alia, de quibus legendus *Benedictus XIV.* in *de synodo dioecesana lib.* 4. *cap.* 6. *num.* 7.

Depositionis effectus est perpetua, ac irremisibilis privatio officii, ac beneficii. Ita depositus privatur titulo, ac radice beneficii; officii vero privatur usu, non vero ordine, ac potestate, quae est character indelebilis. Unde valide, licet illicite exercet actus Ordinis, qui a jurisdictione non pendent; retinet tamen privilegium fori, & canonis, & manet obnoxius clericalibus oneribus, scilicet recitandi Horas canonicas, servandi castitatem, & abstinendi a negotiis, officiisque Statui indecentibus.

Degradationis vero realis effectus sunt praeter privationem officii, & beneficii, privatio omnis honoris, ac privilegii clericalis, etiam fori, & canonis, & laicali jurisdictioni fit obnoxius, a qua capi, incarcerari, & puniri potest: remanet tamen oneribus clericalibus addictus, cum non amittat characterem, & potestatem ordinis.

CAP. IV.

C A P. IV.

De Interdicto.

§. I.
De natura, & divisione Interdicti.

TErtia censurae species est *Interdictum*, quod definiri potest, *censura ecclesiastica, qua prohibentur omnia divina officia, & quorumdam Sacramentorum usus, & ecclesiastica sepultura*. Ita passim Doctores ex *cap.* Non est vobis, *De sponsalibus*. Differt ab excommunicatione, quae his bonis privat, quatenus sunt communicatio cum fidelibus; & a suspensione, quae etiam privat a divinis, quatenus sunt actus ordinis: Interdictum vero, quatenus sunt bona Ecclesiae.

Interdictum praeter divisiones, quas cum censura in genere communes habet, 1. dividitur in *locale*, *personale*, & *mixtum*, *cap.* Si civitas, *De sent. excom.* & cit. *cap.* Non est vobis. *Locale* immediate, & directe afficit locum, prohibetque ne divina in eo celebrentur, aut recipiantur etiam ab extraneis; mediate vero afficit personas, & sub eo respectu vera est censura.

Per-

Personale immediate, ac directe respicit personas, easque ubicumque sint, a divinis arcet.

Mixtum dicitur, vel quando locus simul, & incolae interdicuntur; vel quando interdicitur persona, & locus omnis, quo illa persona fuerit ingressa; & vocatur a Canonistis *Deambulatorium cit. cap.* Non est vobis.

Rursus dividitur Interdictum tum locale, tum personale in *generale*, & *speciale*.

Interdictum locale generale est illud, quod fertur in locum aliquem universalem, qui plura alia loca sub se continet: ut si interdicatur regnum, provincia, civitas, tota parochia.

Interdictum locale speciale est illud, quo interdicitur locus aliquis sacer determinatus: ut una Ecclesia, vel aliquae ex iis, quae sunt in civitate.

Nota. Interdictum generale locale comprehendit totum districtum locale tam sacrum, quam profanum; ita ut nemini liceat nec intra, nec extra Ecclesiam divina audire: non item interdictum speciale, ita ut si interdictum feratur in omnes Ecclesias civitatis, adhuc dici possit speciale; quia non comprehendit loca civitatis profana, neque oratoria privata sive constructa, sive construenda, in quibus divina fieri possunt: in profanis vero, si divina per-

peragi nequeant, hoc oritur ex conditione loci, non ex natura interdicti.

Hoc autem Interdictum locale potest dupliciter considerari, vel quoad ipsum locum, & tunc certum est, non posse celebrari divina officia in eo loco, qui in Interdicto exprimitur, nisi in casibus exceptis: vel quoad personas, & tunc certum est etiam, ipsas non posse interesse divinis, quoties exsistunt in loco interdicto, & non alibi; cum prohibitio Ecclesiae in Interdicto locali afficiat tantummodo locum, ad differentiam interdicti personalis, in quo prohibitio afficit personas, etiamsi exsistant in loco non interdicto. Verum aliquando Interdictum locale extenditur ad locum, etiamsi non exprimatur, & ad personas, etiamsi alibi exsistant.

Ad locum non expressum extenditur Interdictum, quoties locus non expressus, est pars loci expressi: quod censetur, vel quando locus non expressus, est pars accessoria principalis expressi; vel quando non expressus, est ita contiguus loco expresso, ut si ibi ut prius celebrarentur divina, Interdictum parvipenderetur, *cap.* Si Civitas, *De sent. excom. in 6.*

Hinc resolves I. Interdicta civitate, intelliguntur interdictae omnes Ecclesiae ibi exsistentes, etiam Regularium, ex Trid. *sess. XXV. cap.* 12. *De Regularibus*, etsi Interdictum latum sit ab Episcopo. Item Ecclesiae-

clesiae, quae postmodum fuerint erectae; quia respicit locum, cui Ecclesia de novo erecta inhaeret. Item censentur interdicta suburbia, & aedificia continentia, etsi ad alium Episcopum pertineant ex juris dispositione; quia aliter eluderetur Interdictum.

Nota. Aedificia continentia intelliguntur ea, quae licet sint ab urbe divisa; tamen a Civibus commode adiri possunt: ut quae sunt intra milliare. Verum hoc vel prudentum judicio, vel judicis arbitrio definiendum.

II. Interdicta aliqua Ecclesia, censentur interdictae omnes ejus Capellae, & coemeterium ei contiguum. Porro coemeterium Ecclesiae contiguum dicitur, quando ita alicui Ecclesiae adhaeret, eamque immediate tangit, ut censeatur pars, aut accessorium illius. Contra non intelligitur interdictum coemeterium, quod non est Ecclesiae contiguum: sicuti etiam neque alia Ecclesia, quae licet Ecclesiae interdictae sit contigua, non censetur tamen moralis pars ejus, cum sit prorsus una ab alia independens.

Ceterum interdicto coemeterio, non ideo intelligitur interdicta Ecclesia contigua; quia Interdictum totius cadit in partes, non Interdictum partis in totum.

III. Ad personas, etiamsi alibi exsistant, extenditur Interdictum locale, quando perso-

ſonae cauſſam hujuſmodi Interdicto dederunt, quia reſpectu earum Interdictum locale ſecum fert etiam perſonale; unde ii ubicumque ſint, non poſſunt divina participare. Porro cauſſam Interdicto dare dicuntur ii, qui quomodolibet cooperantur delicto, ob quod fertur Interdictum.

Nota. Interdictum locale ſive generale, ſive ſpeciale omnes incolae tam laici, quam eccleſiaſtici, etiam Regulares, imo idem Epiſcopus, (excepto Romano Pontifice) qui illud appoſuit, ſervare tenentur : quia Interdictum locale non eſt tam prohibitio facta perſonis, quam inhabilitas ſeu privatio divinorum appoſita loco.

Interdictum perſonale, quo interdicitur perſona, aliud eſt *generale*, quo interdicitur populus, vel communitas; aliud *ſpeciale*, quo interdicitur perſona particularis.

Generale Interdictum afficit omnes perſonas, quae unum corpus morale conſtituunt, ſeu ſunt membra communitatis interdictae.

Hinc reſolves I. Interdicto populo alicujus civitatis, omnes qui illius membra ſunt, cenſentur interdicti, etiam innocentes, *cap.* Si ſententia, *de ſent. excom. in 6.* etiamſi ſint abſentes tempore, quo Interdictum imponitur, quia abſentia non impedit, quin ſint ejus membra. Item ſi de novo poſt latum Interdictum fiant partes

illius communitatis, quia vere evadunt ipsius membra. Item comprehendit tale Interdictum concives habitantes in suburbiis, & aedificiis continentibus: dummodo aeque ac alii de populo, ejus honores, & onera subeant; quia sic censentur esse de illo populo: secus vero, si sint sui juris, suaque onera, & honores distinctos habeant.

Excipiuntur ab interdicto populo 1. Episcopi, nisi illorum fiat expressa mentio: 2. infantes, & amentes, quia cum usu rationis careant, non subduntur legibus. Hi tamen sepulturae ecclesiasticae tradi nequeunt: quae prohibitio sepelientes potius, quam eos afficit: 3. peregrini, & exteri, quamvis per longum tempus in civitate interdicta commorentur, quia non sunt partes, & membra illius populi: etsi ad leges civitatis teneantur, non tamen ad illas, quae afficiunt personas singulares, quatenus sunt partes talis populi, ut reipsa afficit Interdictum generale. 4. Qui duo domicilia habet, tunc censetur interdictus, quando manet in civitate interdicta; quia quamdiu in ipsa manet, sortem populi, cujus est pars, subire debet: secus, si in alio commoretur. 5. Demum alio abeuntes, ubi non est Interdictum, ibique figunt domicilium; dummodo Interdicto caussam non dederint, quia per translationem domicilii desinunt esse

esse partes illius populi.

Resolves II. Interdicto populo, non intelligitur Clerus; nec interdicto Clero, intelligitur populus: quia nomine Cleri non venit populus, nec nomine populi intelligitur Clerus, *cit. cap.* Si sent. Item interdicto Clero alicujus civitatis, omnes ejusdem Clerici, qui privilegio canonis, & fori fruuntur, sunt interdicti. Sacerdotes vero, qui domicilium habent in tali civitate, sed non beneficium, nec officium, non sunt interdicti; quia non constituunt unum corpus, seu non sunt membra illius Cleri.

Resolves III. Interdictum personale speciale comprehendit 1. qui caussam dederunt Interdicto locali, aut generali personali: 2. qui tale delictum commiserunt, ob quod latum fuit a jure, vel ab homine Interdictum, etsi eorum personae ignotae sint: 3. qui post incursum Interdictum proprio nomine declarantur, & denunciantur, & ii dicuntur nominatim interdicti.

Nota I. Interdictum locale non semper inducit personale, nec vicissim. Unde ob Interdictum populi non censentur interdictae Ecclesiae illius: quia in jure haec Interdicta sunt diversae speciei.

Nota II. Interdicti generalis usum ante seculum X. aut XI. reperire vix est. Ubi usus invaluit, aetate praesertim *S. Gre-*

gorii VII. plura attulit commoda, plura intulit incommoda: quibus moti plures Rom. Pontifices, ac praesertim *Bonifacius VIII.* Interdicti vigorem mitigare curarunt, praesertim quod attinet ad divinorum Officiorum, & sacramentorum usum atque administrationem. Cujus relaxationis rationem profert laud. Pontifex in *cap.* Alma Mater, *De sent. excom. in 6. Quia ex districtione hujusmodi statutorum excrescit indevotio populi, pullulant haereses, & infinita pericula animarum insurgunt, ac Ecclesiis sine culpa earum debita obsequia subtrahuntur.* Eadem repetit in *Extravaganti* 2. *de sent. excom.*

§. II.
De Effectibus Interdicti.

Nota. Effectus *per se* Interdicti tres sunt: privatio divinorum officiorum, aliquorum sacramentorum, & ecclesiasticae sepulturae. Hi effectus possunt limitari, & tunc Interdictum illum effectum habet, quem exprimit. Ita communiter. Effectus *per accidens* sunt poenae, in quas incidunt violatores Interdicti.

Q. I. *An, & quatenus Interdictum divinis privet officiis?*

Ante responsionem nota, nomine divinorum officiorum intelligi functiones illas, quae ex sua institutione a sacris Ec-
cle-

clesiae ministris fiunt: ut Missae, Horae canonicae, benedictiones nuptiarum, aquae, olei, chrismatis &c.

R. I. Interdictum tam locale, quam personale a divinis officiis prohibet. Ita omnes ex *cit. cap.* Si sententia. Contra per Interdictum non prohibentur actus jurisdictionis, & similia, quae non sunt divini cultus. Item non prohibetur sacra concio, quae ad instructionem populi ordinatur. Item officia, quae sunt solita recitari a confratribus laicis; quia non sunt facta nomine Ecclesiae. Item psalmi, litaniae, quae recitantur a Clericis, sed privatim, & tamquam personis particularibus: ut sine gestatione crucis elevatae, sine superpelliceo, stola, & alio ornatu sacerdotali; quia haec non veniunt nomine divinorum officiorum.

R. II. Jure novo *Bonifacii VIII.* in *cap.* Alma Mater, *de sent. excom. in 6.* tempore Interdicti generalis permittitur 1. *ut singulis diebus in Ecclesiis, & monasteriis Missae celebrentur, & alia divina officia, sicut prius, submissa tamen voce, & januis clausis, excommunicatis, & interdictis exclusis, & campanis non pulsatis.*

Permittitur 2. *ut in festivitatibus Natalis Domini, Paschae, & Pentecostes, & Assumtionis Virginis campanae pulsentur, & januis apertis alta voce divina officia solemniter celebrentur, excommu-*

municatis prorsus exclusis, sed interdictis admissis .... sic tamen, quod illi, propter quorum excessum Interdictum hujusmodi est prolatum, Altari nullatenus appropinquent: nempe qui caussam Interdicto dederunt, non veniant ad offertorium, vel communionem. Hoc privilegium *Martinus V.* extendit ad festum corporis Christi, & *Eugenius IV.* ad ejusdem octavam.

Nota. Concessio laudati *cap.* Alma non extenditur ad Interdictum locale speciale, sed tantum ad generale. Unde in Ecclesia specialiter interdicta permittitur Missa semel in hebdomada ad renovandam Eucharistiam pro infirmis; & Clericis permittitur, ut bini, vel terni divina officia legant: quod jure antiquo permissum erat *cap.* Permittimus, *de sent. excom.*

Q. II. *Quibus Sacramentis privet Interdictum?*

R. I. In Interdicto locali, vel personali generali permittuntur Baptismus, Confirmatio, & Poenitentia, *cap.* Quoniam, *de sent. excom. in 6.* & cit. *cap.* Alma. 1. Baptismus, qui conferri potest parvulis, & adultis sive sanis, sive infirmis, & quidem cum consueto solemni ritu Ecclesiae. 2. Confirmatio, quae Baptismi perfectio est, administrari potest, & ejus chrisma confici etiam in loco interdicto. 3. Sacramentum Poenitentiae jure novo omni-

omnibus conceditur, etiam extra articulum mortis, exceptis tamen excommunicatis, & specialiter interdictis, & iis, qui caussam Interdicto dederunt, nisi prius ob delictum satisfecerint, vel de satisfactione cautionem dederint, *cap.* Alma.

Nota. Haec Sacramenta possunt ministrari a persona interdicta interdicto generali, non vero specialiter interdicta, nisi in casu necessitatis; adeoque sine solemnitate. Utrum vero absolutio data ab interdicto denunciato sit valida, disputatur: multi cum *Bonacina* affirmant, quia Interdictum non privat jurisdictione, sed usu tantum divinorum.

Praeterea Sacramentum matrimonii celebrari posse a persona generaliter, atque adeo specialiter interdicta, permulti affirmant; quia matrimonium precipue est contractus politicus, cui ratio Sacramenti ex divina institutione est adnexa, atque accessoria.

R. II. Tempore Interdicti neque Eucharistia, neque Ordo, neque extrema Unctio administrari potest. In mortis tamen articulo Eucharistia deferri potest, & quidem cum solita solemnitate & honore ad infirmos, etiam personaliter interdictos. Minister vero si sit specialiter interdictus, nequit eam administrare, nisi in necessitate, in qua deest alius Sacerdos, a quo conferatur. Extra mortis periculum

in generali Interdicto licitam esse Communionem Clericis, aliisque privilegium habentibus, multi affirmant; quia iis permissa est assistentia sacrificio Missae, quae secum habet adnexam Communionem.

Insuper infirmis, qui alia sacramenta recipere non possunt, ex praesumta voluntate Ecclesiae extremam Unctionem conferendam esse, docent multi.

Q. III. *Quibus prohibeatur tempore Interdicti ecclesiastica sepultura?*

R. Omne Interdictum sive locale sive personale privat omnes ecclesiastica sepultura, per quam intelligitur locus, quem Episcopus consecravit, vel benedixit ad usum coemeterii, vel in quo divina officia peraguntur.

In Interdicto locali generali excipiuntur Clerici, qui possunt sepeliri in loco sacro etiam specialiter interdicto: dummodo non sint specialiter interdicti, nec dederint caussam Interdicto, nec Interdictum violaverint actione Clericorum propria, sed sine campanarum pulsatione, cessantibus solemnitatibus omnibus cum silentio, *cap.* Quod in te, *De Poenitentiis, & Remissionibus*. Excipiuntur etiam laici, qui speciale privilegium habent. Ceteri vero etiamsi sint innocentes, exteri, infantes, vel amentes, nequeunt licite sepeliri in loco sacro interdicto: quia per tale Interdictum locus sacer est incapax eorum se-

sepulturae. Quare tempore Interdicti generalis localis mortui sepeliendi sunt in campo aliquo, vel in loco ad id deputato, sed non benedicto, ut cessante interdicto transferantur ad locum sacrum: modo non fuerint specialiter interdicti, neque Interdicto caussam dederint.

Specialiter interdicti si sepulti sint in loco sacro, exhumandi, & in loco profano sunt transferendi.

Utrum festis solemnioribus, quibus ex privilegio *cap. Alma* suspenditur Interdictum, laici his diebus morientes, possint in loco sacro sepeliri, disputant Theologi: probabilius negatur.

Quando Interdictum est personale, si fuerit denunciatum, privat omnes semper, & ubique Ecclesiae sepultura.

Hinc si interdicatur aliquis in particulari, sive laicus, sive clericus sit, si in censura decedat etiam extra territorium interdicentis, non potest in loco sacro sepeliri. Idem dicendum, si aliquis communitatis interdictae moriatur, dummodo sit ejus membrum.

Dixi, *si fuerit denunciatum*; quia ex Constitutione *Martini V.* nemini deneganda est ecclesiastica sepultura ex vi alicujus censurae vel sententiae, nisi prius fuerit haec denunciata.

Q. IV. *Quid intelligatur per Interdictum* ab ingressu Ecclesiae?

R. Intelligitur privatio sepulturae in Ecclesia, ejusque coemeterio, & divinorum officiorum in Ecclesia, *cap.* Is cui, *De sent. excom. in 6.*

Nota I. Hoc Interdictum quoad Clericos vocatur suspensio.

II. Sic interdictus privatur exercitio Ordinis sacri in Ecclesia, & auditione divinorum in ipsa: ita ut Clericus, cui Ecclesiae ingressus est interdictus, si in ea actum Ordinis sacri exerceat, fiat irregularis.

III. Juxta multos interdictus potest ingredi Ecclesiam, quando divina non celebrantur; puta ad audiendam concionem, disputationem &c. imo juxta aliquos ad recipienda Sacramenta: quia sic interdictus, non privatur usu passivo Sacramentorum.

IV. Extra Ecclesiam in coemeterio, vel in privato oratorio posse divina exercere, docent aliqui.

V. Si cum signis poenitentiae decedat, etiamsi a censura non fuerit absolutus, permittitur tamen in loco sacro tumulari, cit. *cap.* Is cui.

Q. V. *Quaenam sint poenae violantium Interdictum?*

Ante responsionem nota I. Interdictum violari dicitur, quando exercetur aliqua ex illis actionibus, quae per ipsam prohibentur.

II. Interdictum non violatur, nisi sit de-

denunciatum. Perſonaliter autem interdictus, ſi ſe ingeret, etiamſi non fuerit denunciatus, Interdictum violare intelligitur, ex Conſtitutione *Ad evitanda*.

R. I. Violantes Interdictum peccant graviter, niſi parvitas materiae excuſet; quia violat praecepta Eccleſiae in re gravi.

II. Clerici exercentes proprium actum ſacri Ordinis, praeter peccatum mortale fiunt etiam irregulares. Item Clericus, vel Religioſus utriuſque ſexus privatur voce activa, & paſſiva ad officia, & beneficia.

III. Clericus, qui in loco interdicto celebrat, aut alium actum Ordinis exercet non ſervatis conditionibus *cap.* Alma, praeter irregularitatem incurrit etiam Interdictum ab ingreſſu Eccleſiae.

IV. Clerici exemti, & Religioſi admittentes in loco non interdicto ad divina, vel ad eccleſiaſticam ſepulturam nominatim interdictos, contrahunt Interdictum ab ingreſſu Eccleſiae, quouſque ſatisfaciant ei, cujus ſententiam contemſerunt, *cap.* Epiſcoporum, *de privilegiis in 6.*

V. Religioſi etiam exemti incurrunt ipſo facto excommunicationem majorem, quoties non ſervant Interdictum generale loci ſervatum ab ipſa Eccleſia matrice, vel Parochiali loci, in quo ipſi habitant, *Clemen. I. de ſent. excom.*

VI. Domini temporales, qui cogunt

Clericos ad publice celebranda divina officia in loco interdicto, incurrunt excommunicationem Papae reservatam. Similem quoque excommunicationem contrahunt nominatim interdicti, qui admoniti non exeunt.

VII. Qui interdictos sepeliunt scienter in loco sacro extra casus exceptos, incurrunt excommunicationem Episcopo reservatam.

§. III.
De Latore, Caussa, Suspensione, & Absolutione Interdicti.

Q. I. *Quinam ferre Interdictum valeat?*

R. Qui habet potestatem ferendi censuras, ferre etiam potest Interdictum. Praelati regulares, quamvis ferre Interdictum personale possint, nequeunt tamen interdicere loca sibi subjecta, nisi in plebem jurisdictionem habeant.

Q. II. *Quam ob caussam ferri Interdictum possit?*

R. I. Interdictum speciale personale nequit infligi, nisi ob culpam gravem propriam illius personae, quae Interdicto plectitur.

R. II. Interdictum locale vel personale generale nequit infligi, nisi ob culpem gravem contumaciter admissam a capi-

pite, vel a praecipuis membris communitatis; licet reliqui sint innocentes: quia haec poena redundat in communitatem, quam privat cultu divino publico.

Q. III. *Quinam suspendere Interdictum valeat?*

R. Suspendere Interdictum ad tempus potest, qui illud tulit: sed suspendere effectus Interdicti, manente Interdicto, juxta multos solus S. Pontifex potest; is enim solus potest dispensare in jure communi.

Q. IV. *Quis ab Interdicto absolvere valeat?*

R. I. Ab Interdicto locali, aut generali personali non potest absolvere, nisi qui habet jurisdictionem in foro externo in locum, vel communitatem interdictam. Verum si Interdictum latum sit ad tempus, vel sub conditione, elapso tempore, vel conditione impleta, cessat sine absolutione. Item Interdictum latum contra communitatem, si haec dissolvatur sine absolutione, cessat respectu innocentum. Item cessat Interdictum absque absolutione, destructo ejus subjecto: ut si Ecclesia interdicta destruatur. Si autem locus Ecclesiae sit interdictus, manet Interdictum in solo vel pavimento; idcirco in eo solo cadavera non possunt sepeliri.

R. II. Ab Interdicto personali speciali potest absolvere quilibet Confessarius approbatus; dummodo tale Interdictum

non

non sit reservatum. Ita multi. Si vero sit reservatum, non potest relaxari nisi ab eo, qui tulit, vel ab ejus superiore.

Nota. Interdictum illius, qui dedit caussam Interdicto generali, intelligitur reservatum, aeque ac generale. Item latori reservatum est Interdictum latum ab homine per sententiam particularem, ut dictum est de absolutione a censuris in genere.

Demum quibus in casibus de jure communi incurratur Interdictum sive generale, sive speciale personale, videndus *Bonacina*, qui *tom. III. de Censuris* accurate, ac diligenter ea omnia enumerat. Nota, celebre Interdictum in *cap.* Omnis utriusque sexus, *de Poenitentiis*, *& Remissionibus*, latius contra eos, qui Communionis Paschalis praecepto non satisfaciunt, in nostra Dioecesi esse latae sententiae, & Archiepiscopo reservatum.

AP-

APPENDIX

De Cessatione a divinis.

Cessatio a divinis est prohibitio Clericis imposita, ut sub gravi cessent a divinis officiis in aliquo loco, & ab administratione Sacramentorum, excepto necessitatis casu, in signum doloris ob gravem injuriam contra Ecclesiam aut divinum cultum illatam, & in illius reparationem. Eosdem fere effectus habet, quos Interdictum: non est tamen censura, cum non sit poena medicinalis, sed mera prohibitio imposita ad ostensionem doloris. Unde ejus violatio, licet sit graviter illicita, non tamen inducit irregularitatem. Religiosi vero etiam exemti generalem cessationem a divinis violantes, quando ab Ecclesia matrice servatur, sunt ipso facto excommunicati, *Clementina I. de sent. excom.*

CAP.

CAP. V.

De Irregularitatibus.

ECclesiasticis censuris affines sunt Irregularitates, quibus Ordinum susceptio, eorumque usus impeditur. Quod ergo res ipsa postulat, me facturum existimo, si ipsam de Irregularitatibus tractationem statim subjungam. Materia pro more expendetur, ubi de Irregularitatis exsistentia, natura, divisione, effectibus, & dispensatione.

§. I.

De Exsistentia, Natura, & Divisione Irregularitatis.

Prop. I.

Irregularitas est impedimentum canonicum Ordines suscipiendi, & susceptos exercendi, a solo jure proveniens.

Explicatur definitio. Irregularitas dicitur 1. *impedimentum*, idest moralis inhabilitas ex aliqua indecentia, non tamen ex culpa semper proveniens. Dicitur 2. *canonicum*, eo quod Canonibus Ecclesiae statutum fuerit: atque ideo nulla Irregularitas proprie dicta, quae per dispensationem aufertur, est a jure naturali, vel di-

vi-

vino. 3. *Impedire susceptionem Ordinum*, nempe licitam, non vero validam. Porro hîc *Ordinum* nomine juxta communiorem opinionem venit etiam Tonsura clericalis. 4. *Quod susceptorum Ordinum usum impediat*. Cui enim prohibitum est Ordines recipere, vulgo prohibitum est in susceptis ministrare. Dixi *vulgo*: quia Irregularitas partialis impedit quidem susceptionem Ordinis nondum recept, non tamen exercitium illius, qui jam receptus est. Dicitur 5. *a solo jure proveniens*: quia nulla irregularitas est ab homine, sed a solo jure communi, ita ut nequeat imponi ab Episcopis. 6. Demum Irregularitas differt a censura, quia imponitur non ad resipiscentiam, sed ad divinorum reverentiam. Differt quoque a depositione, & degradatione, quia non est ejectio a Clericatu, sed non admissio ad ipsum.

Prop. II.

Nulla exsistit Irregularitas, nisi in universali pontificio jure sit expressa.

Prob. 1. pars ex *cap.* Is cui, *de sententia excommunicationis in 6.* ubi *Bonifacius VIII.* declarat per celebrationem in Ecclesia polluta non fuisse contractam Irregularitatem; quia id in jure expressum non est. Ergo &c.

Hinc notat *Suaresius*, Pontificem nihil novi statuisse, sed principium illud declarasse, poenam non extendendam esse ultra casus expressos. Prob.

Prob. 2. pars. Jus, de quo loquitur Pontifex, est Jus Canonicum commune, ut fatentur omnes. Atqui nomine juris communis veniunt decreta Pontificum, vel Conciliorum, quae Pontifex approbavit. Ergo &c.

Id etiam confirmatur ex hoc, quod omnes Irregularitates, quae exstant, a Romanis Pontificibus, vel a generalibus Conciliis institutae fuerunt, ut infra patebit.

Denique Irregularitatibus finis est decentia, ac reverentia sacro Altaris ministerio debita, quae efficit, ut ab Altaris ministerio arceantur qui vel certa delicta, vel quosdam defectus habent, qui sacrorum majestati adversantur. Ergo conveniens est, ut haec impedimenta eadem sint in tota Ecclesia, sicuti honor & reverentia Altari debita communis est in tota Ecclesia; ac proinde debent esse a jure communi, quod viget in tota Ecclesia.

Prop. III.

Si de aliqua Irregularitate dubitatur, an sit expressa in jure, admittenda est, semper ac communis sensus Doctorum, & consuetudo eam firmaverit.

Prob. Satis in jure est expressum, quod in eodem sensus Doctorum, & Ecclesiae consuetudo, quae sunt optimi Canonum interpretes, expressum esse declarat. Ergo &c.

Ex

Ex dictis sequitur, nullas esse Irregularitates, quae forte a Dioecesanis Synodis statutae leguntur, vel ad eas statuendas solum consuetudo, vel opinio Doctorum allegatur; quia jus resistit. Item nullam exsistere Irregularitatem, quae in jure non reperitur expressa, sed vel ex textu virtualiter arguitur, vel de uno casu per similitudinem ad alium extenditur.

Hinc perperam ratiocinatur qui ex Irregularitate quam contrahit, qui duas duxit uxores, arguit pariter irregularem esse, qui cum duabus fornicatus est.

Denique notandum, Irregularitatem ipso facto contrahi, quia a ministerio judicis non pendet. Hinc verba comminatoria, quae significant effectum de futuro, Irregularitatis signum esse nequeunt, sed potius suspensionis, vel depositionis, ut advertit *Layman*.

Q. *Quotuplex sit Irregularitas?*

R. I. Duplex est Irregularitatum genus: alterum *ex delicto*, alterum *ex defectu*. Irregularitas ex delicto semper absoluta & totalis est; quae vero ex defectu est, aliquando limitatum & partialem habet effectum.

R. II. Dividitur etiam Irregularitas in *totalem*, & *partialem*. Totalis, ac proprie dicta Irregularitas est, quae omni ordine suscipiendo, & suscepti exercitio privat: ut est illa, quae provenit ex homicidio,

bi

bigamia &c. Partialis vero dicitur, quae Clericum ordinatum non omni ordinis ministerio privat, sed aliquo tantum, vel solum ascensu ad ordinem superiorem: ut Diaconus, qui sinistro oculo privatus est, inhabilis fit ad Sacerdotium, licet in suo Ordine ministrare non prohibeatur.

SECTIO I.

De Irregularitatibus ex Delicto.

Quatuor enumerantur Irregularitates ex delicto. Prima ex *homicidio*, vel *mutilatione* est. Altera ex *haeresi*, vel *apostasia*. Tertia ex *violatione sacramenti*. Quarta demum ex *violatione censurae*.

§. I.
De Irregularitate ex Homicidio.

Homicidium dividitur in *voluntarium*, & *casuale*. Voluntarium & quidem directe dicitur, quod committitur per directam occidendi voluntatem, vel quando caussa directe intenditur, unde necessario mors sequatur: ut si vulnus mortiferum infligatur, si venenum propinetur, si remedium efficax ad abortum porrigatur. Homicidium casuale duplex est: aliud *pure casuale*, quod etiam *inculpatum* vocatur; aliud *mixtum* & *culpabile*. Homici-

cidium pure casuale est illud, quod praeter intentionem agentis sequitur ex actione, ex qua nec praevidetur, nec moraliter praevideri potest esse secuturum: ut est homicidium factum ab eo, quo pulsante *campanas, ut conveniret populus ad divina, cadens tintinnabulum percussit quemdam puerum, qui ex eo vulnere decessit, cap. 23. de Homicidio.*

Homicidium casuale mixtum, nempe ex voluntario & involuntario, est quod quis nec intendit, nec praevidit, sed praevidere potuit & debuit, ideoque impedire, sive majorem adhibendo diligentiam, sive abstinendo ab opere periculoso, in quo satis peritus non erat.

Nota. Mutilatio est abscissio seu obtruncatio membri: membrum autem dicitur pars corporis, quae distinctum & peculiare habet officium ab aliis corporis partibus: ut oculus ad videndum, pes ad ambulandum &c. partes vero, quae officium non habent distinctum, sed conjunctum cum aliis: ut digiti manus, vel pedis, dentes, cartilagines quae auditum tuentur &c. non veniunt hic nomine membri, cujus abscissio parit Irregularitatem. His positis,

Prop. I.

Ex homicidio injusto, & directe voluntario, etsi occulto contrahitur Irregularitas omnium gravissima.

Prob. ex toto fere titulo, *de homicidio*,

dio, & ex Trid. *Sess. XIV. cap. 7. de Reform.* ubi haec habentur: *Qui sua voluntate homicidium perpetravit, etiamsi crimen id nec ordine judiciario probatum, nec alia ratione publicum, sed occultum fuerit, nullo tempore ad sacros Ordines promoveri possit: nec illi ecclesiastica beneficia, etiamsi curam non habeant animarum, conferri liceat, sed omni ordine, ac beneficio ecclesiastico perpetuo careat.*

Requiritur vero, ut mors sequatur, ut dicta Irregularitas contrahatur. Quare si quis letaliter vulneraret, venenum mortale propinaret, & mors non sequeretur, Irregularitatem non contraheret.

Hanc porro Irregularitatem ex homicidio voluntario praeter exsecutores incurrunt mandantes, consulentes, consentientes, non impedientes, si ex justitia impedire teneantur: uno verbo, omnes ii, qui actione sive physica, sive morali proximi mortem directe intendunt, & procurant; non vero si solum rata habeatur, cum ratihabitio sit facto posterior.

Tandem qui communi consilio aliquem invadunt, omnes sunt Irregulares, quamvis unus percusserit.

Q. I. *An mandans, vel consulens fiat Irregularis, si ante factum revocet mandatum vel consilium?*

R. Neg. Si revocatio mandati, vel consilii innotescat mandatario, etsi hic non

non removeatur ab occiſione. Quando enim conſiliator ſincero animo, & efficaci eloquio reducere conatur conſultum a priori conſilio, tunc etſi motiva, ſuaſiones conſulentis moraliter influant in malum ſecutum, hoc ſolum provenit ex malitia conſulti: unde efficaciter revocato conſilio, conſiliator liber evadit ab homicidio. Ita *Salmanticenſes*, *Merbeſius*, *Concina*, aliique non ignobiles Theologi.

Verum hîc ſpectandae circumſtantiae ſunt, nempe efficacitas revocationis, conditio accipientis conſilium, & alia plura, quae occurrere poſſunt forſitan ex circumſtantia perſonae conſultae. *Navarrus* Irregularem declaravit Clericum, qui abortus conſilium dederat conjugatae, a quo eandem poſtea dimovere non potuerat.

Prop. II.

Qui opus licitum facit, & omnem diligentiam adhibet, ne homicidium ſequatur, Irregularis non fit, etiamſi ex ſuo facto homicidium accidat.

Prob. Homicidium, niſi ſit voluntarium, & culpabile, Irregularitatem non inducit. Atqui in caſu homicidium nec voluntarium, nec culpabile fuit. Ergo &c. Non enim eſt in culpa qui facit aliquid licite, unde aliquid ſequatur, quod nec praecavere, nec impedire potuit.

Ita deciditur laud. *cap.* 23. *de Homicidio*, ubi declaratur, nullam Irregularitatem

tem incurrisse eum, quo campanas pulsante, cecidit tintinnabulum, quod hominem enecuit. Secus vero dicendum, si hoc fieret ex culpabili negligentia, tunc homicidium esset indirecte voluntarium, quo contraheretur Irregularitas. Hinc in *cap.* 7. pariter *de Homicidio*, declaratur irregularis magister, qui puerum intuitu disciplinae percussit in capite, *si ex ipsa percussione interiit, vel aliam infirmitatem incurrerit, ex qua dignoscatur expirasse*. Et quidem graviter negligens fuit is magister, percutiendo puerum in capite, cum sit pars de se periculosa.

Prop. III.

Qui dat operam rei, quae sit illicita, non quia periculosa ad mortem, sed ex alio capite, non fit Irregularis, homicidio ex tali actione illicita sequuto, nisi sit graviter negligens.

Prob. Homicidium casuale ac fortuitum nullam inducit Irregularitatem ex dictis prop. anteced. Atqui homicidium, quod sequitur ex actione illicita, sed non periculosa, dummodo agens debitam adhibuerit diligentiam, est mere casuale ac fortuitum. Ergo &c.

Nam satis non est, ut quis contrahat Irregularitatem, quod opus, quo homicidium sequitur, culpabile sit, nisi etiam dirigatur in homicidium, argumento *cap.* Quantum, *dist.* 50. ubi qui equos furan-

rando (quae actio sane illicita est) collisit mulierem , quae abortum fecit , furti solum damnatur , non autem Irregularitatis , aut censurae : *quibus* , ait auctor Canonis, *non potest*, *nec debet addici per leges ; quia voluntas illius non cognoscitur perniciosa fuisse* , idest cujuspiam mortem intendisse .

Dixi , *nisi sit graviter negligens ;* quia ad contrahendam hanc homicidii casualis Irregularitatem requiritur culpa mortalis , ac proinde gravis negligentia .

Dices : In jure deciditur , non incurri Irregularitatem ab eo , qui dando operam rei licitae, casuale fecit homicidium , *cap.* 13. 14. 23. *& ult. de Homicidio* . Ergo per sensum contrarium qui dat operam rei illicitae , si casu hominem occidat , Irregularis fit .

R. 1. Cum Irregularitas non contrahatur , nisi in casibus in jure expressis , ad eam statuendam non valet argumentum a sensu contrario . 2. Si in jure adjecta fuit caussa , cur occisio casualis non pareret Irregularitatem , nempe quia operans vacabat rei licitae ; hoc adductum fuit ad removendam omnem negligentiae suspicionem , non vero ad excusandum ab Irregularitate solum homicidium casuale ab opere licito secutum .

Hinc Irregularis non fit , qui tempore interdicti pulsat campanam , quae ca-

dens, casu hominem occidit. Item laicus, qui in alieno saltu ex errore invincibili putans feram in dumis, hominem latentem occidit. Item qui caedendo arborem die festo, est occasio mortis ex arboris casu: dummodo omnem adhibuerit diligentiam, ne mors sequeretur.

Prop. IV.

Qui dat operam rei illicitae, & periculosae ratione homicidii, etsi ad effectum impediendum omnem diligentiam adhibeat, secuto homicidio, Irregularitatem contrahit. Ita D. Thomas, Fagnanus, Navarrus, Cabassutius, Pontas, Concina, aliique.

Prob. Qui libere se exponit periculo occidendi, censetur saltem indirecte velle homicidium. Sed qui libere ac sponte exercet opus periculosum prohibitum, se exponit periculo occidendi. Ergo &c.

Ita colligitur ex *cap.* Tua nos, *de Homicidio*: nam ibi declaratur Irregularis quidam Monachus chirurgiae peritus ob periculosam incisionem tumoris in gutture cujusdam mulieris, quae non servatis post incisionem debitis cautionibus obierat. Idem eruitur ex *cap.* Continebatur, *eod. tit.* ubi pariter declaratur Irregularis quidam Diaconus, qui afferens latentem falcem, & cum altero ludens, caussa fuit, ut hic eum amplexans a falce feriretur, ex quo vulnere decesserat. Ergo quoties ex actione prohibita periculosa sequitur homicidium,

dium, quamvis casuale, contrahitur Irregularitas.

Dices. Quoties res est ita periculosa, ut ejus eventus per diligentiam multoties impediri possit; tunc adhibita sufficienti diligentia periculum occisionis e proximo fit remotum. Atqui homicidium, quod sequitur ex actione remote periculosa, posita debita diligentia, est potius casuale, quam voluntarium. Ergo &c.

R. 1. Potuit Ecclesia imponere Irregularitatem homicidio etiam omnino aut quasi omnino casuali, quoties nasceretur ex actione prohibita periculosa. Quod autem Ecclesia id statuerit, evincunt rationes, & textus superius adducti. 2. Non est omnino casuale homicidium, quod provenit a caussa intuitu homicidii prohibita, & libere ac sponte suscepta; unde homicidium exinde secutum, est quodam modo voluntarium.

Hinc Irregularis est censendus Clericus, qui mulierem gravidam ad choreas excitat, vel cum ea impudice jocatur, si abortus prolis animatae contingat, *cap.* Sieut literarum, *de Homicidio*. Item Clericus in sacris chirurgiam exercens per incisionem, vel adustionem, quae est Clericis, & Monachis specialiter vetita per *cap.* Si sententiam, *Ne Clerici, vel Monachi*, sequuto homicidio, etsi cum debita diligentia fecerit, Irregularitatem contrahit,

laud. *cap.* Tua nos. *Non enim est sine culpa, qui rei, quae ad eum non pertinet, se immiscet*, *Regul.* 19. *in* 6. Utrum excipiendus sit casus necessitatis, infra dicetur. Item Clericus venationem vetitam exercens, nempe aprorum, & cervorum, quae cum clamore, & armis fit, si pro fera hominem occidat, juxta multos Irregularitatis notam non effugiet; etsi omnem diligentiam adhibeat, ne hominis occisio, vel mutilatio sequatur. Item si Titio mandes, ut verberet Cajum, Titius vero eum occidat; Irregularis eris, etiamsi expresse ei imposueris, ne letaliter vulneraret, *cap.* ult. *de Homicidio in* 6. ubi redditur haec ratio, quia *mandando in culpa fuerit, & hoc evenire posse debuerit cogitare*.

Item, si vulneratus ictu non letali decedat, quia nemo aderat, qui curationem adhiberet, injuste vulnerans irregularis fit. Idem dicendum, si is moriatur ex negligentia medici, vel incuria propria, etsi vulnerans, quoad obligationem resarciendi damna teneatur tantum de vulnere, non vero de homicidio, Irregularitati tamen erit obnoxius, argumento *capitis* ult. *de Homicidio in* 6. quia per culpabilem, & injuriosam actionem fuit occasio secutae mortis.

His resolutis, restat, ut quaestiunculas quasdam proprias de mutilatione expendamus.

mus. Nam quoad cetera, idem eſt de mutilatione, ac homicidio voluntario, & caſuali; cum homicidium, & mutilatio in jure aequiparentur, quod attinet ad Irregularitatem incurrendam, *cap.* ult. *de Homicidio in 6.* & *Clementina unica eodem titulo.*

Q. II. *An Irregularis fiat, qui abſque abſciſſione membrum debilitatum, & ineptum alteri reddit ad munus ſuum exercendum?*

R. Neg. Ita multi: nam mutilatio proprie dicta habetur per obtruncationem, per quam membrum deſinit eſſe pars corporis. At membrum aridum & inane, quamvis inefficax & mortuum, verum tamen eſt membrum corporis, ut ait *Auguſtinus* relatus in *Can.* Sicut urgeri, *cauſ.* 1. *quaeſt.* 1. Ergo &c. E contrario qui illud membrum mortuum amputaret, irregularis evaderet; quia proprie eſſet hominis mutilatio.

Hinc Irregularis non eſt, qui obcaecat aliquem, non eruendo ei oculos; quia non eſt mutilator. Nota, ſermonem eſſe de mutilatione injuſta & injurioſa hominis viventis, non vero de chirurgica & medica. Hinc Irregularitatem non contrahit, qui obtruncat membrum monſtruoſum, & ſuperfluum, puta tertiam manum, quia non reddit hominem mancum: nec qui reſecat membrum cadaveris.

Q. III. *An qui alteri injuste partem membri amputaret, irregularis esset?*

R. Neg. Quia non membrum, sed membri partem amputaret. Hinc Irregularis non fieret, qui alteri exteriorem aurem recideret, dummodo maneret auditus, quia secus integrum membrum mutilaret. Qui vero sibi ipsi membrum, aut partem ex ira amputaret, aut turpiter se deformaret, Irregularis fieret ex delicto, ut habetur ex *Can.* Qui partem, *dist.* 55. ubi sic: *Qui partem cujuslibet digiti sibi volens abscidit; hunc ad Clerum Canones non admittunt.* Lex enim punit excessum, & saevitiem, quam quis secum exercet. Nam haec redditur ratio in citato Canone, quia in illo voluntas est judicata, quae in se ausa fuit ferrum injicere.

§. II.
De Irregularitate ex delicto Haeresis, & Apostasiae.

Prop. Unica.

Haeretici, Apostatae a fide, eorumque fautores, etsi occulti, sunt Irregulares. Ita multi.

Prob. 1. pars de Haereticis ex *Can.* Saluberrimum, *caus.* 1. *quaest.* 7. ubi Clerici in haeresim lapsi, si resipiscant, non possunt ad Ordines superiores promove-

veri, nec in ſuſceptis miniſtrare, niſi ex diſpenſatione. Ergo haeretici pro Irregularibus a jure agnoſcuntur.

Nota. Quamvis in laud. Canone ſermo ſit tantum de Clericis, communiter tamen extenditur haec Irregularitas etiam ad laicos; quia non afficit Clericos prout Clerici ſunt, ſed ſimpliciter prout lapſi in haereſim.

Prob. 2. pars de Apoſtatis. 1. Quia in jure Apoſtatae ſubjiciuntur eiſdem poenis haereticorum: & merito, quia Apoſtatae a fide in omnibus rejiciunt fidem, quam haeretici in uno quodam puncto abjiciunt. 2. Quia ex *Can.* Presbyteros, *diſt.* 50. Clericis, qui tempore perſecutionis idolis immolaverunt, Altaris miniſterium interdicitur. Ergo pro Irregularibus habiti ſunt. Idem ſtatuitur de laicis, ne aſcendant ad Ordines, eod. *Can.* §.4.

Nota I. Qui exterius tantum haereſim profert, fidem tamen in corde ſervat, graviter quidem peccat, ſed Irregularis non eſt; cum revera non ſit haereticus. Secus de Apoſtata, qui etſi exterius tantum a fide deficeret, puta metu tormentorum idolis ſacrificando, fieret nihilominus Irregularis: quia lex in cit. *Can.* Presbyteros, complectitur omnes, qui *immolaverunt*.

Nota II. Apoſtatae a Religione, nempe qui poſt Profeſſionem a clauſtris aufugiunt

giunt animo non revertendi, durante eo statu ad Clericatus officium admitti non debent, ex *cap.* finali, *dist.* 50. unde sequitur, eos irregulares esse.

Nota III. Apostatae a clericali habitu, & Tonsura non sunt irregulares, cum nullo jure id declaretur.

Prob. 3. pars de haereticorum fautoribus ex *cap. 3. de Haereticis in 6.* ubi *Alexander IV. vetat, ne haereticorum fautores ad ecclesiastica beneficia, vel officium publicum admittantur.* Ordo autem pertinet ad officium publicum. Ergo &c.

Prob. 4. pars de haereticis occultis: nam ubi jura non distinguunt, nec nos distinguere debemus. At non distinguunt inter haeresim publicam, & occultam, ut patet ex laud. *Can.* Saluberrimum, & *cap. 2. de Haereticis in 6.* Ergo haeretici tam publici, quam occulti irregulares sunt. Irregularitas enim crimini ipsi haereseos, & non solum infamiae inflicta est. Unde sufficit, ut haeresis sit exterius prolata, etsi non sit notoria, ut Irregularitas contrahatur.

Nota I. Haec Irregularitas extenditur etiam ad filios, & nepotes haereticorum, eorumque fautorum in haeresi decedentium, ex *cap.* 2. & 15. *de Haereticis in 6.*

Nota II. Ad Schismaticos Irregularitas haec non extenditur; modo schisma non

non ſit conjunctum cum haereſi, quia hoc non eſt expreſſum in jure.

§. III.
De Irregularitate, quae contrahitur ex violatione ſacramenti.

Tertia Irregularitas ex delicto contrahitur ob violationem ſacramenti, cujus nomine non intelligitur quodlibet ſacramentum, ſed tantummodo Baptiſmus, & Ordo: nec quaelibet violatio, ſed quae habetur vel ex iteratione Baptiſmi, vel ex abuſu Ordinum.

Prop. I.

Baptizatus, Rebaptizans, & Acolythus rebaptizanti miniſtrans, irregulares ſunt, ſi baptiſmi reiteratio culpabiliter fiat.

Prob. 1. pars ex *can.* Confirmandum, *diſt.* 50. ubi expreſſe ſtatuitur, non eſſe unquam *permittendum, ut rebaptizati ad Clericatus gradum promoveantur*. Ergo &c.

Prob. 2. & 3. pars ex *cap.* Ex literarum, *de Apoſtatis*, ubi declaratus fuit irregularis quidam junior Acolythus, qui in fratris ſui rebaptizatione miniſterium exhibuerat. Ergo ſi irregularis eſt Acolythus rebaptizanti miniſtrans, eo magis irregularis erit ipſe rebaptizans. Ubi nota, quod Irregularitas Acolythi rebapti-

zanti ministrantis est in laudata Decretali expressa; Irregularitas vero ipsius rebaptizantis eruitur ex cit. textu, cui consentit sensus Doctorum, & consuetudo, quae est optima legum interpres.

Dixi, *si baptismatis iteratio culpabiliter fiat:* nam cum haec Irregularitas sit ex delicto, haud incurritur, si inculpabiliter fiat. Hinc Irregularis non fit, qui in infantia semel, atque iterum baptizatus fuit: nec pariter ille, qui baptizat eum, quem ignorat antea baptizatum fuisse, vel de cujus priore baptismate legitime dubitat.

Nota, culpabilem reiterationem baptismi in rebaptizato esse totalem: in Acolytho vero, & rebaptizante multi contendunt esse partialem, quoad scilicet promotionem ad superiores Ordines; dummodo reiteratio fiat publice: quod si occulta sit, etiam ab ista excusantur.

Q. I. *An excusetur ab Irregularitate Parochus, qui generatim atque indistincte iterum sub conditione in Ecclesia baptizat quoscunque, raptim inter angustias urgente periculo, ab obstetricibus domi baptizatos?*

R. Affir. Quia baptisma domi collatum ab obstetrice forsitan imperita, vel certe perturbata, Parocho rationabiliter suspectum redditur, proindeque non censetur in hoc casu baptisma reiteratum, quod ambigitur esse factum, *cap.* Finali, *de Presby-*

bytero non baptizante. Rursus conditio nihil ponit in esse, ne iteratum absolute dicatur. Unde cum iste Parochus non habeat rebaptizandi intentionem, Irregularitatem non contrahit.

Q. II. *An incurratur Irregularitas ob indignam baptismi susceptionem?*

R. Incurri 1. ab eo, qui libere, & sine ulla necessitate baptismum recipit ab haeretico declarato: 2. ab eo, qui libere usque ad aegritudinem, & mortis periculum baptismum differt.

Prop. II.

Qui in casu non permisso suscipit Ordinem sacrum, matrimonio constante: vel etiam non sacrum, Episcopo non approbante, fit Irregularis.

Prob. 1. pars ex *Extravaganti*, Antiquae, *de voto*, ubi *Joannes XXII.* haec statuit: *Qui durante matrimonio nondum etiam consummato, aliquem de sacris Ordinibus praesumit accipere, nec in sic suscepto Ordine ministrare, nec ad superiores Ordines provehi potest, soluto etiam matrimonio*. At cui prohibetur suscepti Ordinis exercitium, & ad superiores ascensus, vere est Irregularis. Ergo &c. Quinam vero sint casus in jure permissi, quibus liceat conjugato ad sacros Ordines ascendere, vide dicenda in *Tract. de Matrimonio*.

Prob. 2. pars ex *cap. 1. de eo, qui furtive*: ubi qui sine approbatione Episco-

pi Ordinem recipit, dicitur non posse ad alium Ordinem ascendere. Ergo incurrit Irregularitatem saltem quoad Ordines superiores suscipiendos.

Prop. III.

Qui serio, scienter, & quasi ex officio sacrum quem non recepit Ordinem, exercet, est irregularis.

Prob. ex *cap.* 1. & 2. *de Clerico non ordinato ministrante*: ubi dicitur, quod ministrans in pertinentibus ad Ordinem quem non habet, propter *temeritatem*, & *praesumtionem nunquam ordinetur*.

Dixi 1. *serio*: quia si id faciat repraesentative, ut cum quis se exercet in Missa celebranda, ut ejus caerimonias addiscat: vel ex joco, ut cum pueri sacerdotum personas agentes, aliquas Missae partes inter se canunt, Irregularitatem non contrahit.

Dixi 2. *scienter*: quia jus temeritatem, & praesumtionem requirit. Unde si quis ex ignorantia etiam crassa, non vero affectata in Ordine quem non habet, ministret, credens talem Ordinem habere, non fit irregularis.

Dixi 3. *quasi ex officio*, seu solemni ritu, nempe quando actus ita exercetur, ut non possit aliter exerceri, nisi ab eo, qui talem Ordinem habet. Unde si Clericus non subdiaconus cantet in Missa epistolam sine manipulo, vel evangelium sine

ne ſtola, non fit irregularis, quia non canit ſolemni ritu.

Dixi 4. *Ordinem ſacrum*. Ergo ſi quis miniſtret in minoribus quos non habet, non fit irregularis, quia in iſtis ſolent etiam laici adhibitis veſtibus miniſtrare. Item irregularis non evadit, qui exercet functiones, quae licet a ſolis Sacerdotibus, aut Diaconis exerceantur, ab eorum tamen Ordine non pendent: ut ſacrae conciones, quae a Sacerdotibus, aut Diaconis in Eccleſia haberi ſolent, & tamen non pendent per ſe ab Ordine ſacro.

Q.III. *An haec Irregularitas contrahatur non ſolum a Clericis, verum etiam a laicis, qui ſacrum Ordinem praeſumunt exercere?*

R. Multi negant; quia etſi jura indiſtincte loquantur, ut generatim dicitur, *ſi quis baptizaverit* in cit. *cap.* 1. intelligi tamen debent juxta titulum cit. *cap.* Praefixum videlicet *de Clerico non ordinato miniſtrante*. Unde ſi laicus attentet Miſſam celebrare, vel ſacramentaliter abſolvere &c. non fit irregularis.

Q. IV. *An ſimplex Sacerdos excipiendo Confeſſionem, Irregularitatem incurrat?*

R. Neg. Quia revera exercet actum Ordinis quem habet, licet careat juriſdictione. Irregularitas enim incurritur per uſum Ordinis, quem quis non recepit, non per uſurpationem alienae juriſdictionis.

§.IV.

§. IV.
De Irregularitate, quae oritur ex violatione censurae.

Prop. Unica.

Clericus ligatus majori excommunicatione, suspensione, vel interdicto, etiamsi toleratus sit, & occultus, Irregularitatem incurrit, exercendo solemniter seu ex officio actum majoris Ordinis, nisi legitima ratio excuset.

Prob. 1. pars ex *Can. 7. caus. XI. quaest.* 3. ubi omnis spes dispensationis denegatur ei, qui excommunicatione ligatus, Ordinis sui functiones exercuerit. Idem constat ex toto fere titulo Decretalium *de Clerico excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante.*

Prob. 2. pars de Suspensis ex *cap. 1. de sententia, & re judicata in 6.* ubi qui suspensione durante, ingerit se divinis celebrandis, Irregularitatis laqueo se innodari dicitur.

Prob. 3. pars de Interdictis ex *cap. 18. de sententia excommun. in 6.* ubi qui *scienter* in loco celebrat supposito interdicto (nisi super hoc privilegiatus exsistat, aut a jure sit concessum eidem) Irregularitatem incurri declaratur; & ex *cap.* 20. *eod. tit.* pariter de interdicto ab ingressu Ecclesiae asseritur *irregularem effici, si contra*

tra Interdictum hujusmodi divinis celebrandis in Ecclesia se ingerat, in suo agens officio, sicut prius.

Dixi, *nisi legitima ratio excuset*, E.G. ignorantia invincibilis, inadvertentia, oblivio, necessitas proximi, vel vitandi scandali, metus &c. juxta alibi dicta. Item excusat petitio fidelium, si sit toleratus juxta Constantiense decretum.

Ex dictis inferes I. Irregularitatem non incurri per exercitium minorum Ordinum; nam ut saepius dictum est, consuetudo obtinuit, ut eorum munia etiam a laicis solemniter obeantur. Ita communiter contra *Fagnanum* & alios, qui in *cap. Si quis Presbyter* conantur contrarium adstruere.

Inferes II. ligatum excommunicatione minori Irregularem non fieri, etiamsi actum sacri Ordinis exerceat: nec pariter interdictum, & suspensum, si ea, quae non sunt sibi per tales censuras prohibita, exerceant.

Inferes III. Irregularitatem hanc non contrahi ab eo, qui censura ligatus praestat ea, quae solius jurisdictionis, non Ordinis officia sunt: ut si exerceat jurisdictionem excommunicandi, approbandi, absolvendi a censuris; secus de absolutione sacramentali, quae secum fert actum Ordinis.

Nota. Episcopus, vel Sacerdos censu-

ra

ra ligatus, qui auctoritative coram se jubet Missam, vel alia divina officia celebrari, fit irregularis, ut eruitur ex *cap.* Illud, *de Clerico excommunicato ministrante:* quae Irregularitas potius auctoritate Doctorum, quam jure scripto nititur, cum in textu non exprimatur, ut notant Doctores.

Q. *An ligatus duplici censura, si sacros Ordines exerceat, duplicem incurrat Irregularitatem?*

R. Affir. Quia duo specie committit delicta, quorum unicuique sua poena respondet; secus, si una solum censura ligatus, pluries celebraret.

SECTIO II.

De Irregularitatibus ex Defectu.

Irregularitates ex defectu etiam ad quatuor reduci possunt, quarum prima est ex defectu animi, secunda ex defectu corporis, tertia ex defectu fortunae, quarta ex defectu sacramenti.

§. I.
De Irregularitate, quae oritur ex defectu animi.

Tres enumerantur defectus animi, qui Irregularitatem inducunt, nempe *rationis*, *scientiae*, & *fidei obfirmatae*.

I. Quoad defectum *rationis* irregulares sunt pueri, amentes, furiosi, energumeni sive arreptitii, nempe qui a malo daemone vexantur, lunatici sive epileptici, nempe qui morbo comitiali seu caduco ita inopinato corripiuntur, ut continuo sensibus destituti cadant. Sed observa hîc, sermonem non esse de rationis carentia praesenti, cum haec sit potius incapacitas, sed de ea quae praecessit.

Dico I. Amentia, quae est per modum habitus ex organo, vel ex humore habitualiter laeso, quoad Ordines suscipiendos semper Irregularitatem inducit; quoad susceptos, quoties praesumitur non esse omnino sublata.

Prob. 1. pars ex *Can.* Maritum, *dist.* 33. ubi dicitur, *non esse ordinandum, qui in furiam aliquando versus insanivit.* Et sane: nam qui ita insanivit, raro praesumitur perfecte sanus. Unde qui ex caussa permanente & habituali aliquando usum rationis amisit, etiamsi postea factus sit compos sui, non potest Ordines suscipere. Ita communiter.

Prob.

Prob. 2. pars ex *Can.* Communiter, *dist.* 23. ubi amentes, vel simili morbo laborantes, si per annum probati inveniantur ab insania liberati, poterunt Episcopi judicio in susceptis Ordinibus ministrare.

Dico II. Si amentia proveniat ex caussa transeunte, puta ex vi febris, vulneris, vel subitae passionis, sublata caussa, cessat Irregularitas. Ita communiter ex praxi communi.

De lunaticis sive epilepticis, & energumenis idem dicendum, quod dictum est de amentibus. Unde si morbus Ordinationem praecedat, sunt hi perpetuo irregulares ex laud. *Can.* Communiter. Si autem post Ordinationem recensitis morbis obnoxii esse incipiant, tunc si frequenter tali morbo laborent, ab exercitio Ordinum sunt arcendi ob indecentiam, & periculum casus, usque dum judicio Episcopi perfecte convaluerint. Si vero raro, & sine labore, ac spuma impetantur, possunt celebrare, adjuncto tamen alio Sacerdote jejuno, qui Missam supplere valeat, si celebrans deficiat.

II. Quoad defectum *scientiae* Irregulares sunt illiterati, illi nempe, qui non habent doctrinam necessariam, *Can.* Illiteratos, *dist.* 36.

De necessitate scientiae in Ordinandis nemo ambigit: sed usque ad quem gradum ejus carentia Irregularitatem inducat, con-

controvertitur inter Moraliſtas. Pro ſolutione hujus quaeſtionis

Nota, quae de ſcientia ad Ordines requiſita ſtatuit Trid. *ſeſſ.XXIII. cap.* 4. 11. 13. & 14.

Ubi pro initiandis ad primam Tonſuram requirit, ut ſciant rudimenta fidei, & ſciant legere, ac ſcribere.

Ad Ordines minores, ut ad eos promovendi ſaltem *latinam linguam, & quae ad eoſdem Ordines pertinent, intelligant*; ita ut nemo iis initiari poſſit, *quem non ſcientiae ſpes majoribus Ordinibus dignum oſtendit*.

Ad Subdiaconatum, & Diaconatum, ut ad eos promovendi *literis, & his, quae ad Ordinem exercendum pertinent, inſtructi ſint*. Literae, quibus Subdiaconos, & Diaconos imbutos eſſe praecipit Tridentinum, complectuntur ſacramenti Ordinis notitiam, & intelligentiam Officii divini, ad cujus recitationem tenentur, qui ſunt in ſacris, ut notat *Gibert*.

Ad Presbyteratum hi ſolum promovendi, qui idonei ſunt ad populum docendum ea, quae ſcire omnibus neceſſaria ſunt ad ſalutem, & ad miniſtranda ſacramenta.

Sed rurſus hìc quaeritur, utrum carentia ſcientiae, quam exigit Concilium, inducat Irregularitatem, an tantum violationem meri praecepti, ita ut Ordinatus ſine

ſine ſcientia a Tridentino requiſita, ex diſpenſatione Epiſcopi poſſit in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare, dummodo ſciat legere, & ſcribere. Negat *Gibbalinus* decretum Concilii imponere Irregularitatem.

Dico. Defectus ſcientiae competentis, qualem ad Ordines exigit Tridentinum, Irregularitatem inducit.

Prob. Illum ſcientiae gradum in Ordinandis requirit Tridentinum, quo praediti, ſuis poſſint apti eſſe officiis. Sed qui eo ſcientiae gradu carent, ſunt irregulares. Ergo &c. Major propoſitio conſtat ex iis, quae ex Tridentino ſupra retulimus. Minor probatur ex cit. *Can.* Illiteratos, *diſt. 36.* ubi haec habentur: *Illiteratos, aut aliqua parte corporis vitiatos, vel imminutos nullus praeſumat ad Clericatus Ordinem promovere; quia literis carens, ſacris non poteſt eſſe aptus officiis.*

Inſuper ſi pro Irregularibus habendi eſſent ſolum ii, qui adeo rudes ſunt, ut legere neſciant; ſequeretur, eundem ignorantiae gradum, qui Irregularitatem inducit in juniore Clerico, Irregularitatem inducere in Diacono, vel Sacerdote. Quod eſſet ridiculum.

Hinc Irregulares ſunt 1. qui linguam latinam non intelligunt, ſaltem quoad ſubſtantiam talis locutionis, cum hujus linguae ſcientia ad exercitium Ordinum requiratur. 2. Qui carent ſcientia ſacra, & com-

competenti in Ordinibus a Tridentino requisita: cum aliter non possint exercere debite, & congrue suum officium; ac proinde tales rudes graviter peccant tam Ordines suscipiendo, quam susceptos exercendo.

Porro Theologi etiam benigniores docent, promovendos ad Sacerdotium non posse, tutâ conscientiâ, Sacerdotium suscipere, nisi sciant saltem universaliora principia, quibus solvant dubia saltem communiter occurrentia proxime moribundis: & nisi distincte sciant, quomodo se gerere debeant circa moribundos, nempe quando scilicet possint eos absolvere, an in articulo, vel periculo mortis, & in quali periculo; an praesente Confessario approbato, an absolute, vel conditionate: quando moribundum possint censere dispositum ad absolutionem, quid ei imponere, si habeat casus, vel censuras reservatas.

Advertendum hîc cum *Fagnano* in *cap.* Quaeris, *de aetate &c.* Episcopos contra hoc decretum Concilii dispensare non posse etiam magna ex caussa. Unde sacra Congregatio Concilii, ait laudatus Canonista, etiam in locis, ubi maxima est Sacerdotum inopia, nunquam censuit ignaros promoveri posse ad sacros. Verum habilitas a Tridentino requisita non tam exacte exquirenda in casu necessitatis, & in eo, qui nec

nec ad sacramenta ministranda, nec ad animarum curam deputatur.

III. Quoad defectum *fidei obfirmatae*, Irregulares sunt Neophyti, ii nempe, qui recens a Paganismo, vel Judaismo ad fidem conversi sunt, ex *Can.* Sicut Neophytus, *dist.* 48.

§. II.
De Irregularitate ex defectu corporis.

Nota I. Primis Ecclesiae seculis corporis defectus non inducebant Irregularitatem, modo his laborantes possent exercere Ordines, ut colligitur ex *Can.* 76. *Apostolorum*: ubi dicitur posse in Episcopum eligi oculo defectum, & obtuso crure, dummodo dignus sit. *Non enim*, inquit, *mutilatio corporis Episcopum polluit, sed inquinatio animae.* Et quidam Episcopus apud *Palladium historia Lausiaca*, *cap.* 12. ajebat, *Ecclesiam legi veteri in hoc puncto non esse subjectam, seque paratam ordinare virum bonae vitae, etiam naso amputato.* Tunc enim cicatrices, & vulnera propter Christum tolerata, splendida erant Clericorum ornamenta; & vitae sanctitas corporis vitia tegebat.

Nota II. Seculo V. frigescente caritate, ne venerabiles Ecclesiae ministri ob corporis vitia populo contemtibiles essent, Ecclesia generaliter, & indistincte statuit, ut

ut *corpore vitiati*, *aliqua membrorum damna perpessi*, *debiles corpore a Clero*, *&* *Ordinibus arcerentur*, ut constat ex *Can.* 1. 3. & 12. *dist.* 55.

Nota III. Corporis defectus, qui ex posteriori Ecclesiae disciplina Irregularitatem inducunt, a Summistis ad duo capita reducuntur, ad *impotentiam* nempe, & ad *indecentiam*. His praenotatis,

Dico. Corporis defectus Irregularitatem inducit, quoties impedit exercitium Ordinis, vel notabilem deformitatem parit, quae caelari non possit.

Prob. 1. & 2. pars ex *cap.* 2. *de Clerico aegrotante*, ubi dicitur, *Presbyterum, cui medietas palmae cum duobus digitis abscissa fuit, non posse celebrare; quia ab Altari arceri debet, quia nec secure propter debilitatem, nec sine scandalo propter deformitatem ministrare potest.*

Prob. 3. pars. Quia deformitas, quando caelari potest, non censetur notabilis &c.

Hinc resolves I. ob impotentiam ministrandi Irregularem esse, qui caret indice, vel pollice. Item qui ita manibus tremulis laborat, ut frangere hostiam, vel calicem tenere nequeat. Item qui oculi sinistri lumine caret, (qui dicitur *oculus Canonis*) ita ut non possit rite legere Canonem. Similiter omnino surdus: si vero surditas Ordinato superveniat, non reputatur

tur impedimentum ; cum ministri auditio non sit necessaria. Similiter si tanta sit dexteri oculi vis, ut sine indecenti conversione Canon legi possit, impedimentum cessare plures docent. Item omnino irregularis est mutus, non tamen balbus seu blaesus carens dentibus: si vero tanta esset balbuties, ut risum etiam invitis excitaret, aut tanta esset loquendi difficultas, ut nulla vox distincte, & integre pronunciari posset, impedimentum induceret. Abstemii, qui ita vinum fastidiunt, ut vomitui obnoxii sint, jure naturali Sacerdotii incapaces sunt.

Resolves II. ob indecentiam irregularem esse, qui notabilem habet corporis deformitatem, ita ut horrorem, scandalum, aut risum moveat adstantibus: ut sunt qui carent oculo sive dextero, sive sinistro, naso, pede, labiis, vel habentes oculos nimis deformes, laborantes lepra, gibba, si conjuncta sit cum nimia deformitate. Item enormiter claudi, qui sine baculo pergere nequeunt ad Altare. Item qui habet cicatricem enormiter foedam in facie.

Resolves III. censendum non esse irregularem, si deformitas caelari possit: ut qui habet aures detruncatas, quae velamine capillorum tegi possunt, vel crura distorta, quae latere possunt, vel oculum erutum, cui vitreum substitui potest.

No-

Nota. Haec omnia corporis vitia cum plus, & minus excipiant, judicio Episcopi permittuntur, cujus est de hisce defectibus ferre sententiam.

Q. *An occulta corporis vitia Irregularitatem inducant?*

R. Neg. si nullum in celebrando periculum inducant, exceptis duobus casibus. Primus est, si quis membrum, vel partem membri absque justa caussa sibi amputaret, *Can.* 2. *dist.* 23. Hinc irregulares sunt eunuchi, qui tales propria culpa facti sunt, etiam caussa retinendae vocis contra *Tamburinum*, & alios; sed proprie loquendo haec Irregularitas est ex delicto. Irregulares contra non sunt eunuchi, qui naturâ, vel sine sua culpa tales evaserunt, *cap.* 3. *de Corpore vitiato.*

Alter est Hermaphroditus, nempe utriusque sexus particeps: qui etiam a professione religiosa arceri debet.

§. III.

De Irregularitate ex defectu fortunae.

Inter fortunae bona enumerantur *natalia*, *libertas*, & *bona fama*. Horum bonorum carentia inducit tertiam ex defectu Irregularitatem.

Q. I. *Quaenam sit Irregularitas ex defectu natalium?*

R. Natalium defectu laborant illegi-

timi, sive procreati ex parentibus non conjugibus: quorum alii dicuntur *naturales*, hoc est orti ex parentibus, inter quos poterat intercedere matrimonium; alii vocantur *spurii*, hoc est orti ex parentibus, inter quos matrimonium intercedere non poterat ob aliquod dirimens impedimentum.

Prop. Unica.

Illegitimi omnes tum naturales, tum spurii irregulares sunt, etiamsi eorum illegitimitas occulta sit.

Prob. 1. pars ex *cap.* 1. *De filiis Presbyterorum*, ubi statuitur, ut *filii Presbyterorum, & ceteri ex fornicatione nati, ad sacros Ordines non promoveantur*. Idem habetur ex *cap.* 1. *eod. tit. in 6.* Haec autem Irregularitas in Ecclesia Latina inducta est post seculum XI. ob detestationem paterni sceleris, & ob moralem indecentiam, & ignominiam in prolem inde provenientem, nec non ob periculum incontinentiae ex imitatione paterna.

Prob. 2. pars. Quoad illegitimitatem occultam, textus citati absolute loquuntur, nec distinguunt inter illegitimos occultos, & notorios. Ergo sive publica, sive occulta sit illegitimitas, Irregularitatem inducit. Ita communiter contra paucos.

Hinc I. occultus illegitimus dispensationem super impedimento suo petat, si velit

velit Ordinem, vel beneficium recipere.

II. Mater occulte sciens filium esse illegitimum, potest ei suadere, ut Ordines recipiat, si legitima vocationis habeat indicia; 1. quia mater non tenetur filio aperire propriam turpitudinem: 2. quia suadet filio quod per se bonum est, quodque ab ipso, laborante invincibili ignorantia, absque peccato fieri potest.

III. Ordinatus suae illegitimitatis ignarus, statim ac comperiat, se esse illegitimum, debet se gerere irregularem, donec dispensationem obtineat.

IV. Filius non tenetur fidem habere matri asserenti, eum esse illegitimum, nisi validis rationibus id ostendat; 1. quia non est credendum alleganti propriam turpitudinem in praejudicium alterius: 2. quia pater is est, quem nuptiae demonstrant.

Q. II. *An pro illegitimis habendi sint nati ex conjugibus, quorum alter post consummatum matrimonium ex communi consensu professus erat Religionem, aut ad sacros Ordines ascenderat?*

R. Licet tali modo suscepti pro legitimis habendi sint, reputantur tamen illegitimi in ordine ad certum effectum, nempe quod sine Papae dispensatione ad Ordines, & beneficia admitti non debeant: & proinde dicuntur *canonice*, non *physice* illegitimi, ut ex *cap.* Literas, *De filiis*

Presbyterorum, colligitur a compluribus contra *Sanchez*.

Q. III. *An infantes expositi, quorum parentes ignorantur, illegitimi, & consequenter irregulares habendi sint?*

R. Pro illegitimis habendos esse docent multi, quia in obscuris, quod verosimilius est, attenditur. At frequentissime illegitimi exponuntur, rarissime vero legitimi. Ergo &c. Alii contra, expositos pro legitimis habent, eo quod in dubiis benigniora praesumenda sunt, & interdum infantes exponuntur propter paupertatem, vel similem caussam, ut patet exemplo Moysis, *Exodi II.* Illud tamen videtur communiter admissum, 1. expositos ad Ordines sine dispensatione admitti non debere, cum vehemens suspicio sit eos ex illegitimo toro natos esse, ac proinde aliqua macula aspergi: 2. Episcopos posse cum istis dispensare etiam ad sacros Ordines, & ad beneficia curata; quia Episcopi possunt dispensare in casu dubio, cujusmodi hic est.

Q. IV. *Quinam censendi sint legitimi relative ad Ordines, & ad beneficia?*

R. Inter legitimos natos alii vere tales sunt, alii secundum juris benignam dispositionem. Vere & stricte legitimi sunt, qui ex vero matrimonio suscepti sunt. Secundum benignam juris dispositionem legitimi censentur 1. nati ex matrimonio bona fide saltem alterius conjugis

gis in faciem Ecclesiae contracto, sed ob aliquod impedimentum occultum irrito, *cap.* Cum inter, *cap.* Ex tenore. Si vero matrimonium clandestine, vel temere omissis denunciationibus contractum sit, non censentur conjuges impedimentum quo erant ligati, bona fide ignorasse: unde filii reputantur illegitimi, & irregulares, *cap.ult. de Clandestina desponsatione.*

2. Qui licet ex personis solutis fornicarie nati sint, matrimonio postea inter illas contracto, legitimati sunt, *cap.*Tanta, *Qui filii sint legitimi*, ubi dicitur: *Tanta est vis matrimonii, ut qui ante sunt geniti, post contractum matrimonium legitimi habeantur.* Ubi notandum, quod illegitime conceptos matrimonium subsequens purgat, si tempore conceptionis parentes ad contrahendum legitimum inter se matrimonium habiles fuerint. Si tamen vice versa parentes tempore natae, non vero conceptae prolis ad contrahendum fuerant inhabiles, juxta probabiliorem sententiam, secuto matrimonio, proles non legitimatur, ut colligitur ex cit. *cap.* Tanta. *Si vir, vivente uxore sua, aliam cognoverit, & ex ea prolem susceperit, licet per mortem uxoris eam duxerit, nihilominus spurius erit filius.*

§. IV.
De Irregularitate ex defectu libertatis.

Nota. Triplex est libertatis defectus, qui Irregularitatem inducit; *servitus*, *obligatio ad ratiocinia reddenda*, & *matrimonium*.

Affero I. *Irregulares sunt servi seu mancipia, quoties in eorum ordinationem domini non consentiant.*

Prob. ex toto Titulo *de servis non ordinandis*, & ex *Can.* 1. *dist.* 55. ubi dicitur: *Nullus Episcopus servum alterius ad Clericatus officium promovere debet*: quia status servitutis dedecet statum ecclesiasticum.

Dixi, *quoties in eorum ordinationem* &c. nam ex *Can.* 20. *dist.* 54. habetur: *Si servus scienter, & non contradicente domino, suscipiat Ordines, liber evadit saltem in iis, quae pugnant cum statu clericali, cap.* 4. *de servis non ordinandis.*

Affero II. *Obligatio reddendi rationem ob administrationem officii secularis Irregularitatem parit, usque dum durat officium, & obligatio post ipsum reddendae rationis.*

Prob. ex *cap.* unico *de obligatis ad ratiocinia*, quia haec obligatio reddit Clericos minus aptos, ac liberos ad sacras functiones. Hinc non debent ordinari administratores, curatores, tutores, publici

ci depositarii, thesaurarii: & si quis eorum manens in officio ordinetur, graviter peccat, nec potest ordinibus uti, & in officio persistere: si vero officium deposuerit, & rationem administrationis dederit, aut pignus vel fidejussionem praestiterit, ordinari poterit.

Dixi, *officii secularis*. Nam ab hac lege excipiuntur 1. administratores rerum pertinentium ad Ecclesias, ad hospitalia, ad orphanos, viduas, & ad personas miserabiles. Quia non debent ab Ordinibus arceri, qui opem suam impendunt personis, queis Ecclesia suam negare non debet: 2. qui legitimam proximorum agnatorum tutelam susceperunt.

Insuper irregulares sunt curiales omnes, ii nempe, qui ex officio negotiis secularibus implicantur, ex *Can.* 1. 2. & 3. *dist.* 51. Hinc irregulares sunt judices, advocati, procuratores, sollicitatores, praetores. Item milites, duces &c. Item feudatarii, qui obligantur domino ad obsequia personalia: Hi omnes non debent ordinari, quamdiu tale officium habent.

Nota. Aliquando Reipublicae officiales vel ex Papae dispensatione, vel ex legitima consuetudine ordinantur, & retinent sua officia, quae cum muneribus ecclesiasticis compatibilia sunt: ut Regii Consiliarii pro caussis civilibus constituti.

Assero III. *Irregulares sunt conjugati,*

nisi uxores consentiant, & castitatem vi-veant.

Prob. 1. pars. Quia conjugati suo modo sunt servi, cum sui corporis potestatem non habeant. Unde nec etiam ad Tonsuram, & consequenter ad ecclesiastica beneficia admitti debent, *cap.* ult. *de Temporibus ordinandorum*. Si vero Clericus beneficiarius matrimonium contrahat, ipso facto privatur suo beneficio.

Prob. 2. pars ex *cap.* 5. *de Conversione conjugatorum*, ubi dicitur, quod *nullus conjugatorum ad Ordines promovendus, nisi ab uxore continentiam profitente fuerit absolutus*. Excipiuntur in jure duo alii casus, in quibus conjugatus ad Ordines promoveri potest, 1. si vir ob adulterium uxoris divortium instituat: 2. si matrimonium solum ratum per religiosam professionem sit dissolutum.

§. V.

De Irregularitate ex defectu bonae famae, seu ex infamia.

Nota I. *Bona fama* est bona opinio, seu recta existimatio, quae publice habetur de excellentia alicujus. Contra mala fama sive infamia est diminutio, vel amissio hujus boni nominis, & publicae existimationis.

II. Infamia alia *juris* est, alia *facti*.

In-

Infamia juris illa dicitur, quae per jus canonicum, aut civile contrahitur. Infamia facti, quae etiam *vulgaris* & *popularis* appellatur, est publica notitia, vel opinio commissi criminis, propter quod fama & existimatio hominis, spectata personae qualitate aut statu, apud prudentes sapientesque viros graviter laeditur, quamvis crimen illud in jure non inuratur infamia.

III. Juris infamia ex quatuor capitibus nascitur; ex delicto proprio, ex delicto alieno, ex poena inflicta, & ex officio vili.

IV. *Ex delicto proprio* oritur infamia, quando crimen committitur, cui ex juris dispositione infamiae poena adnexa est: Idque duobus modis, 1. ipso jure, & ante judicis sententiam: ut quaedam atrociora crimina, quae si notorie committantur, statim infamiam reo inferunt. Ejusmodi est crimen laesae majestatis humanae, vel divinae, duellum, mulieris raptus. 2. Post judicis sententiam condemnatoriam, ut committentes crimen homicidii, adulterii, falsi, rapinae &c. qui omnes etsi notorii sint, infames non reputantur, nisi post sententiam definitivam.

V. *Ex delicto alieno* infames sunt filii eorum, qui delictum laesae majestatis, ac perduellionis admiserunt. Item filii, ac nepotes eorum, qui Romanae Ecclesiae

Cardinales hostiliter persequuntur, *cap.* Felicis, *de poenis in 6.*

VI. *Ex poena inflicta* infames sunt qui puniuntur poena graviter infamante: ut damnatio ad triremes, ad poenam fustigationis &c.

VII. Demum *ex officio vili* infames sunt publici histriones, circulatores, macellarii, caupones. Item lictores, carnifices, & omnes similes artes vilissimas exercentes. Porro qui jure civili infames sunt, etiam jure canonico infames censentur, ex generali regula *Hadriani* Papae *Can.* 2. *quaest.* 1. *caus.* 6. *Omnes infames esse diximus, quos leges seculi infames appellant*, nisi infamiam aliquam jure civili inductam Canones sustulerint. His positis,

Prop. I.

Infamia sive juris, sive facti Irregularitatem inducit.

Prob. I. ex *can.* 17. *caus.* 6. *quaest.* 1. *Infames esse eas personas dicimus, quae pro aliqua culpa notantur infamiae: hi omnes ad sacros Ordines provehi non debent.*

Prob. II. ex *cap.* Inter dilectos, *de Excessibus Praelatorum: Cum personis vilibus, & indignis portae dignitatis patere non debent juxta legitimas sanctiones.* Merito enim infames irregulares habentur, cum maxime dedeceat statum clericalem habere obscuratam proprii nominis famam. *Boni testimonii Ecclesiae ministri sint oportet.*

tet. Act. VI. & *I. ad Tim. III.*

Prop. II.

Nullum crimen, etsi ipso jure ut infame damnetur, infamiam, & Irregularitatem parit, quamdiu manet occultum, aliquibus exceptis.

Prob. I. Infamia essentialiter consistit in diminutione famae. Sed famae diminutio non potest haberi sine criminis publicatione. Ergo &c.

Prob. II. ex *Alexandro III. in cap.* Ex tenore, *de Temporibus ordinationum*: ubi docet Clericum criminosum occultum, parte poenitentiae impositae peracta, posse suscepto Ordine uti: sed si voluerit ad superiores promoveri, moneri potest, ne promoveatur, sed prohiberi non debet, quia peccatum ejus occultum est. Ergo &c.

Hinc Doctores communiter ex *cap.* ult. *eodem titulo* hanc regulam statuunt, quod ob nullum crimen occultum, excepto homicidio (adde & haeresim, & violationem censurae) Irregularitas contrahatur.

Prop. III.

Crimina, quae ex juris constitutione infamiam adnexam habent, etsi notorie committantur, non omnia statim, & ante judicis sententiam infamiam inducunt, sed quaedam atrociora.

Prob. 1. pars. Quae ex juris disposi-

tione infamiam adnexam habent, infamiam, & Irregularitatem non inducunt, nisi certo, & publice de eorum commissione constet. Atqui certo & publice de criminis commissione non constat, nisi post judicis sententiam definitivam. Ergo &c. Unde his criminibus etsi ab ipso jure infamia imponi dicatur, non intelligitur tamen induci, nisi dependenter a judicis sententia. Ita multi.

Prob. 2. pars. Quaedam atrociora crimina ipso jure, ipso facto infamiae damnantur. Atqui vis latae sententiae est, ut effectum suum, non exspectato judicis officio, operetur. Ergo accedente delicti notorietate sive facti, sive juris, inducunt statim infamiam, & irregularitatem. Ita non ignobiles Casuistae. Quaenam vero sint ejusmodi atrociora crimina, vide quartum praenotatum.

Prop. IV.

Peccatum grave notorium cum perseverantia commissum, etsi in jure non notetur infamia, inducit tamen infamiam quae dicitur facti, & Irregularitatem.

Prob. Ita communiter tum ex cit. *Can.* Infames, tum ex *Can.* Constituimus, *ead. dist.* ubi generatim statuitur, criminosos irregulares esse. Ergo &c.

Nota discrimen inter infamiam *juris*, & *facti*, quod facti infamia tollitur per publicam emendationem delicti durantem

tem ſaltem per triennium, quia *ad meliora converſum nequaquam prior vita commaculat*, *Can.* 9. *diſt.* 56. Infamia vero juris non tollitur, niſi accedat Apoſtolica diſpenſatio. Poteſt etiam Epiſcopus diſpenſare, ſed cum duplici limitatione, 1. ut crimen ſit adulterio minus: 2. ut diſpenſatio ſit tantum ad miniſtrandum in ſuſceptis Ordinibus, non vero ad promovendum de novo ad Ordines, & beneficia.

Prop. V.

Viliſſima officia hiſtrionum, carnificum, lictorum exercentes infames ſunt, & irregulares.

Prob. De hiſtrionibus, nempe qui turpes, & obſcoenas repraeſentationes exercent, conſtat ex *Can.* Maritum, *diſt.* 33. & *leg.* 1. & 2. *de his qui notantur infamia*: de reliquis vero, etſi aliqui negent, officia iſta in jure notari infamiâ, propter indignitatem tamen, & indecentiam irregulares cenſendi ſunt: quod extendunt etiam ad caupones, macellarios &c.

§. VI.

De Irregularitate ex defectu Sacramenti.

Quarta Irregularitas oritur ex defectu Sacramenti, nempe ſacrae ſignificationis, qua repraeſentatur unio Chriſti cum Eccleſia, ejuſque manſuetudo, & lenitas. Ex defectu primae ſignificationis irregulares ſunt

sunt bigami, qui carnem suam in plures diviserunt; ideo non repraesentant conjunctionem Christi cum Ecclesia, quae fuit unius cum una. Ex altera significatione irregulares sunt, qui proxime & voluntarie concurrunt ad hominis necem, vel mutilationem, licet juste; quia in iis deficit lenitas, quae prerogativae sunt Sacerdotii Christi, qui tamquam agnus mansuetus venit in mundum a patre missus.

Q. I. *Quid & quotuplex sit Bigamia?*

R. I. Bigamia est matrimonii duplicatio: quae triplex est, *vera*, *interpretativa*, & *similitudinaria*.

R. II. Bigamia *vera* seu realis habetur, quando quis plures uxores successive habuit, easque cognovit.

R. III. *Interpretativa* vocatur illa, quae licet vera & realis non sit, ex juris tamen fictione talis nuncupatur. Haec autem tribus modis contrahitur, 1. quando quis vel viduam duxit, quae prius matrimonium consummaverat, vel mulierem ab altero corruptam, & cum ea, uxore sua effecta, matrimonium consummavit, & ex *D. Thoma* etiamsi bona fide existimet eam virginem esse. 2. Quando quis cum virgine quidem contrahit, sed eam factam uxorem cognoscit post adulterium ab ea commissum. Hi omnes, etsi revera bigami non sint, bigami tamen reputantur ab Ecclesia, quia non perfecte repraesentant unionem Christi

sti cum Ecclesia unica, & virgine. 3. Quando quis vel duo matrimonia contrahit, alterum validum, alterum irritum, & consummat: vel duo matrimonia contrahit, ambo irrita, & consummat.

R. IV. Bigamia *similitudinaria* est illa, quam quis contrahit, dum post solemne castitatis votum, matrimonium contrahit, & consummat sive cum virgine, sive cum corrupta ab alio. Is enim censetur bigamus, quia quasi duplex matrimonium contrahit, spirituale unum, carnale alterum. His positis,

Prop. Unica.

Ex Bigamia oritur Irregularitas, quoties matrimonium etiam invalidum cum pluribus, vel cum una ab alio cognita, vel post votum solemne castitatis consummatur.

Prob. 1. pars quoad matrimonium cum pluribus consummatum, nempe quoad bigamiam realem ex Apost. *I. ad Tim.* & *ad Tit. I.* ubi prohibentur ordinari Episcopi, Presbyteri, Diaconi bigami. Ergo semper in Ecclesia haec bigamia canonicum fuit impedimentum ad Ordines. Adde *Innocentium I.* qui *epist.* 2. *ad Victricium* imperat, *ne is, qui secundam duxit uxorem, Clericus fiat.*

Dixi, *etiam invalidum*. Nam qui invalide geminat matrimonium, licet revera bigamus non sit, tamen *propter affectum cordis cum opere subsecuto*, talis existimatur,

tur, ut ait *Innoc. III. cap.* Nuper, *de Bigamis*. Unde semper ac quis duplicatum contrahat matrimonium cum intentione habendi illam in uxorem in foro externo, bigamus interpretativus est censendus.

Prob. 2. pars ex *Can.* Percepimus, *dist.* 34. ubi dicitur, *non permitti ad ordines ascendere, qui virginem non est sortitus uxorem*, & ex *Can.* Si quis Viduam, ubi pariter dicitur, *ad Clerum non admitti, si quis viduam duxerit*. Vide titulum Decretalium *de Bigamis non ordinandis*.

Prob. 3. pars ex *Can.* 24. *caus.* 27. *quaest.* 1. ubi sic: *Quotquot virginitatem pollicitam praevaricati sunt, professione contemta, inter bigamos, id est, qui ad secundas nuptias transierunt, haberi debebunt*. Idem communiter extenditur ad Clericum contrahentem matrimonium post susceptum Ordinem sacrum, qui pariter voto castitatis erat Christo copulatus. In *cap.* 1. *Qui Clerici, vel voventes*, dicitur, posse Episcopum post peractam poenitentiam dispensare cum Diacono, qui uxorem duxerat ad ministrandum. Ergo Diaconus ille jam habebatur irregularis.

Prob. 4. pars. Ratio, ob quam adducti Canones hanc statuunt Irregularitatem, est, quia bigamus carnem suam dividit in plures. Atqui nisi ad conjugalem copulam ventum sit, nulla habetur carnis divi-

divisio. Ergo nulla habetur Bigamia neque vera, neque interpretativa; & proinde nulla Irregularitas ex hoc capite. *Unde is*, ait *Innoc. III.* in *cap.* Debitum, *de Bigamis, qui mulierem ab alio viro ductam, sed minime cognitam, duxit uxorem, quia nec ille, nec ipsa carnem suam divisit in plures: propter hoc impediri non debet, quin possit ad Sacerdotium promoveri.*

Hinc resolves I. Bigamum esse, & Irregularitatem contrahere, qui in matrimonio tam valido, quam invalido copulam naturalem habet cum pluribus sibi successive desponsatis. Item qui sine animo contrahendi, sed illusorie, & ad extorquendam copulam secundas nuptias contrahit, & consummat: Item qui cum unica, sed vidua a priore viro cognita: Item qui cum unica ante matrimonium ab alio corrupta, vel post matrimonium adultera quamvis occulte, & per vim: Item qui invitus, puta quia coactus per censuras ad uxorem adulteram accedit; quia Irregularitas ista non est ex delicto, sed ex defectu, unde nec metus, nec bona fides ab ea incurrenda excusat.

Contra, Bigamum non esse, neque irregularem, qui cum unica, & virgine contrahit, sed extra matrimonium cum pluribus fornicetur, etiamsi plures concubinas habeat: quia iste talis impudicus, non Bigamus est censendus. Item qui puellam a sei-

a seipso violatam ducit: Item qui plures duxit uxores, & cum nulla ob impotentiam consummavit; quia carnem suam non divisit in plures.

Resolves II. inter Bigamos haberi, qui post professionem Religiosam matrimonium contrahit, & consummat, etiamsi unicam, & virginem ducat: Item qui post sacrum Ordinem idem nefandum matrimonium contrahit. Contra, Irregularitatem non incurrere laicum, qui ducit monialem professam, 1. quia nullibi haec Irregularitas est expressa: 2. quia non attenditur in hoc votum feminae, sed viri.

Q. II. *Si adsint tres recensitae Bigamiae species, quot Irregularitates inducantur?*

R. Tres: secus, si replicentur actus ejusdem speciei.

§. VII.
De Irregularitate ex defectu lenitatis.

Prop. Unica.

Ex Lenitatis defectu contrahitur Irregularitas, quoties homicidium, vel mutilatio, quamvis juste, etiam quoad accelerationem voluntarie, & proxime caussatur.

Prob. 1. pars ex *cap.* Clericis, *Ne Clerici, vel Monachi*, ubi haec habentur: *Clericis in sacris Ordinibus constitutis judicium sanguinis agitare non licet: unde prohibemus,*

mus, ne aut per ſe truncationes membrorum faciant, aut judicent inferendas. Idem ſtatuitur in *cap.* Sententiam, pariter *eod. tit.*

Prob. 2. pars ex *Clementina*, Si furioſus, *de Homicidio*, ubi ab Irregularitate ſolus excipitur, qui homicidium mere caſuale, vel cum moderamine inculpatae tutelae commiſit. Idem ſtatuitur de mutilatione. Ergo &c.

Dixi, *proxime*; nam qui remote tantum cooperantur ad hominis necem, non fiunt irregulares.

Q. I. *Quinam cenſeatur cooperari proxime, quinam vero remote?*

R. Proxime cenſetur cooperari, qui ex lege, officio, intentione, vel per actum de ſe ordinatum ad necem, aut mutilationem concurrit ſive in judicio, ſive in bello offenſivo.

Hinc I. irregulares ſunt judices ferentes ſententiam mortis, vel mutilationis; aſſeſſores judicum, & omnes miniſtri juſtitiae ad eam auctoritate publica concurrentes: ut fiſcales, promotores, ſatellites, comprehenſores, tortores, fabricantes furcam ad aliquem in particulari ſuſpendendum, accuſatores, denunciatores, teſtes neceſſarii, & voluntarii, quando vi talium actionum reus occidatur. Qui autem teſtantur in favorem rei, vel teſtes ſunt non neceſſarii, non fiunt irregulares.

Con-

Contra: Irregulares non sunt qui remote tantum ad sententiam sanguinis, ejusque exsecutionem concurrunt. Ut 1. domini temporales etiam ecclesiastici committentes aliis caussas sanguinis; nisi ipsi imperent, ut judex aliquem in particulari suspendere, vel sententiam statim exsequi faciat. 2. Judices ecclesiastici, qui Clericos a se degradatos tradunt brachio seculari, praemissa supplicatione, ut reus citra poenam sanguinis puniatur. 3. Confessarius si interrogatus de Reo, an mortem mereatur, respondeat, judicem sine exceptione personarum debere suo munere fungi, vel generatim puniendos esse malefactores: secus, si diceret, hunc reum esse morte plectendum.

Hinc II. pariter sunt irregulares, qui in bello offensivo, licet justo, propriis manibus occidunt, vel mutilant: ceteri vero milites, si tantum cooperentur, puta consulendo, hortando ad strenue pugnandum, sarcinas custodiendo, non fiunt irregulares, ex *cap.* Petitio, *de Homicidio*. At si bellum sit injustum, omnes tum pugnantes, tum cooperantes, exhortantes, consulentes, cibos afferentes, etiamsi illi immediate arma non tractent, fiunt irregulares, si unus duntaxat hostium occidatur, aut mutiletur: quia omnes concurrunt ad necem, vel mutilationem injustam,

Quod si bellum sit mere defensivum, tunc

tunc si aliquis eo venerit animo praeliandi, juxta multos Irregularitatem non effugiet, si aliquem occidat, etiam in suae vitae defensionem. Nam 1. qui animo pugnandi aciem ingreditur, saltem in caussa vult homicidium, cui se exponit. Atqui homicidium in se, vel in caussa volitum, adnexam habet a jure Irregularitatem. Ergo &c.

2. Quia judex licet malefactorem occidere teneatur, non desinit esse irregularis; quia sponte accessit ad officium judicis. Ergo a pari miles, qui excubias agit, quique occidendus est, nisi occidat, non vacat ab Irregularitate. Si vero aliquis aciem ingressus fuerit non animo pugnandi, puta ut milites spiritualiter adjuvet, & aliquem occidat cum moderamine justae defensionis, ab Irregularitate excusatur. Ratio est, quia pejor non est conditio eorum, qui in bello, quam qui extra bellum necessitate compulsi occidunt, ne occidantur. Atqui isti Irregularitatem non incurrunt: ergo nec illi.

Nota. Ab hac Irregularitate ex defectu lenitatis excusatur I. non solum laicus, verum etiam clericus, qui reum accusat, ut proprium damnum praecaveat, vel sibi resarciatur, facta protestatione, nolle se poenam sanguinis, ex *cap.* Praelatis, *de Homicidio in 6.* dummodo sit in caussa propria, vel suorum propinquorum usque

usque ad quartum gradum, vel propriae Ecclesiae, ne detur *plerisque materia trucidandi Clericos, & ipsorum bona libere depraedandi*, ut ait *Bonifacius VIII.* in laud. *cap.* Praelatis.

II. Excusatur qui injustum invasorem pro defensione vitae suae occidit, aut mutilat cum moderamine justae defensionis, ex cit. *Clementina*, Si furiosus. Sed hîc disputant Theologi, num ab eadem Irregularitate excusetur qui cum debita moderatione occidit invasorem vitae alterius, etiam patris. Non excusari, docent multi, quia in laudata Clementina unus tantum casus excipitur, nempe qui occidit invasorem propriae vite. Ergo in ceteris casibus standum juri antiquo. Hinc juxta laudatos Theologos irregularis evadit qui ob honoris, vel bonorum defensionem alium occidit.

Dixi, *cum moderamine justae defensionis*, nempe evitando excessum in sui defensionem; ita ut non fiat plus, quam secundum rectam rationem necesse sit ad propulsandam injuriam: & si aggressus posset se defendere fugâ, clamore, mutilatione, ad hoc teneretur, ne modum inculpatae tutelae excederet. Hinc Irregularitatem non effugiet qui fugiendo potest mortem vitare, si omittendo fugam occidat invasorem. Multo minus ab Irregularitate excusabitur qui occidit, aut mutilat ad pro-

propulsandam calumniam, minas, & similia, quae vel via judiciaria, vel saltem christiana patientia repelli debent. Vide damnatam propositionem num. 3. ab *Innocent. XI.*

Cum autem in praxi difficile sit discernere, num moderamen servatum sit necne, ad majorem cautelam, & ad tollendam omnem scandali, & scrupuli occasionem ad Episcopum est recurrendum, prout praecipit Trid. *sess. XIV. cap.* 7.

III. Excusatur qui etsi proxime cooperetur, facit tamen ex indeliberatione, vel semiplena advertentia. Quia ad incurrendam hanc Irregularitatem requiritur actus simpliciter humanus, ac plene deliberatus. Hinc irregularis non est Confessarius, qui reum comitando indeliberate dicat, eja pergamus: vel instiget jumentum, quo reus vehitur.

IV. Excusatur qui per accidens solum, & praeter intentionem caussa est, ut mors alicujus acceleretur. Hinc Irregularis non est Confessarius, si carnificem moneat, se suo jam functum esse officio, vel qui infirmum vertendo, erigendo, juscuIum ei praebendo caussa est, ut citius moriatur: quia effectus per accidens non debet imputari ei, qui dat operam rei licitae.

Q. II. *Num medicinam, aut chirurgiam exercentes, fiant irregulares, si mors sequatur?* R.I.

R. I. Laicos, qui juxta propriae artis regulas operantur, etiam per incisionem, vel adustionem, irregulares non fieri, etiam morte secuta: quia in istis operationibus non deest lenitas, sed elucet misericordia, cum exerceant actum non vindictae, sed pietatis. Unde physici, aut chirurgi si periti sint in arte, nihilque omiserint de contingentibus, & habuerint super hoc sanam conscientiam, poterunt promoveri, si caussâ eorum aliquid in homine contigerit, ait *S. Petrus Caelestinus* in suo *opusc.* 7. *par.* 4. *sect.* 1. *cap.*3.

Dixi, *si juxta propriae artis regulas*: nam forent irregulares ex delicto, si ob eorum imperitiam, vel gravem negligentiam aegrotus interiret. Hinc cautiores Episcopi renuunt manus imponere medicam artem professis, nisi a sacra Congregatione ad cautelam Breve dispensationis ab Irregularitate obtinuerint. Verentur enim, ne medicus in tanta curationum frequentia, quandoque aliquid, quamvis praeter animum, deliquerit.

R. II. Clericos, qui artem chirurgicam exercent, fieri irregulares ex defectu lenitatis, si ex eorum incisione, vel adustione, etiam adhibita diligentia juxta artis regulas, mors aegroti sequatur: quia ex Concilio Lateranensi iis prohibitum fuit hujusmodi artis exercitium. Quod verum est juxta multos, etiamsi Clericus venam

nam aperiat ad minuendum ſanguinem; nam qui venam aperit, proprie dicitur incidere.

Quod ſi Clericus etiam in ſacris medicinam, & chirurgiam exerceat juxta artis regulas citra inciſionem, & aduſtionem, irregularis non fit, ſi mors ſequatur: modo ejus imperitiâ, vel culpâ non eveniat; quia ejuſmodi artis exercitium nullibi Clericis prohibitum eſt.

Nota. Licet juxta veterem Eccleſiae diſciplinam Clericis haud vetita eſſet ars medendi, ut patet exemplis multorum virorum illuſtrium, qui medicos egerunt; juſtis tamen de cauſſis Eccleſia interdicendum cenſuit Monachis, & majorum Ordinum Clericis, nec non in minoribus conſtitutis eccleſiaſticum beneficium poſſidentibus, medicinae exercitium, ut colligitur ex *cap.* Non magnopere, & ex *cap.* Super ſpecula, *Ne Clerici, vel Monachi*. Quare Clericis, qui volunt artem medendi exercere, neceſſarium eſt ſedis Apoſtolicae indultum.

§. VIII.
De Irregularitatis Subjecto.

Irregularitatis Subjectum eſt vir baptizatus, ac Canonibus Eccleſiae ſubditus: ideoque ante baptiſmum nulla Irregularitas proprie dicta contrahitur. Sed quia pot-

est contingere, ut vir antequam baptizetur, laboret delicto, vel defectu, cui adnexa est Irregularitas, quaeritur nunc, an ex delicto, vel defectu ante baptismum contracto, fundamentum remaneat, ut suscepto baptismo Irregularitas consurgat. Pro cujus intelligentia, sit

Prop. Unica.

Ex delicto ante baptismum patrato, suscepto baptismo, nulla Irregularitas consurgit: ex defectu vero post baptismum consurgit Irregularitas, si ante baptismum contractus fuerit, excepto lenitatis defectu.

Prob. 1. pars. Irregularitas ex delicto est quaedam moralis macula, quae praecise ex certis peccatis contrahitur. Atqui in baptismo non solum peccata remittuntur, sed etiam morales difformitates praecise ex peccatis contractae tolluntur, ut docet *Innocentius III.* in *cap.* Gaudemus. Ergo ex delicto ante baptismum patrato, suscepto baptismo, nulla Irregularitas consurgit. Ita omnes.

Prob. 2. pars. Irregularitas ex defectu est quorumdam bonorum carentia, quae per baptismum non tollitur. Ergo si ante baptismum defectus contractus sit, post baptismum Irregularitas ex eo consurgit. Ita communiter.

Prob. 3. pars. Per baptismum tollitur Irregularitas orta ex homicidio injusto. Ergo a fortiori tolli debet Irregulari-

tas

tas contracta ex homicidio justo a milite, a judice &c. Ita communiter colligunt ex *cap.* Si quis viduam, *dist.* 50. Per baptismum enim homo mansuetudinem Christi induere censetur.

Ex dictis resolves I. irregularem non esse, qui ante baptismum homicidium, vel mutilationem injustam commisit; quia delictum per baptismum deletum fuit. Contra irregularem esse, si ob delictum commissum damnatus fuerit ad triremes, vel ad fustigationem, vel ad aliam poenam, qua evaserit infamis; quia defectus per baptismum non tollitur. Unde nisi prius a principe fama restituatur, non potest promoveri: infamia vero facti orta ex delictis per baptismum aufertur.

Resolves II. bigamos ante baptismum non posse post baptismum ordinari; quia *in baptismo peccata remittuntur, non acceptarum uxorum numerus aboletur*, ait *Innoc. I. ad Victricium*. Idem docet *Aug.* relatus in *Can.* Acutius, *dist.* 26. *Ambrosius* relatus in *Can.* Una, *ead. dist.* contra *Hieronymum*, & paucos alios, praesertim Graecos. Idem docet *Sylvius* cum aliis de defectu Natalium.

§. IX.

De Conditionibus requisitis ad incurrendam Irregularitatem.

Irregularitas sive ex defectu, sive ex delicto non incurritur, nisi defectus, aut delictum contrahatur eo modo, quo ipsi in jure imposita est Irregularitas. Sed quia defectus potest esse occultus, vel inculpabilis; delictum vero potest esse vel leve, vel internum, vel incompletum, vel incertum, vel cum ignorantia commissum: quaeritur nunc, an semper incurratur Irregularitas, si delictum, vel defectus in his casibus contrahatur. Pro cujus solutione, sit

Prop. I.

Irregularitas ex defectu semper incurritur, etiamsi defectus sit occultus, & inculpabilis.

Prob. Irregularitas ex defectu habet rationem simplicis impedimenti. Ergo defectus sive occultus sit, sive publicus, sive culpabilis, sive inculpabilis, semper parit Irregularitatem. Ecclesia enim in hac Irregularitate considerat solam indecentiam, quae semper censetur adesse, quando adest defectus.

Prop. II.

Ad incurrendam Irregularitatem ex delicto requiritur peccatum grave, externum, consummatum, &, excepto homicidio, cer-

certum; quamvis ſit penitus occultum.

Prob.1.pars. Irregularitas ex delicto, licet rationem habeat impedimenti, habet etiam rationem poenae, & quidem graviſſimae. Ergo peccatum, quo incurritur, debet etiam eſſe grave, ut poenae correſpondeat.

Prob. 2. pars. Eccleſia non poteſt, vel ſaltem non vult de peccatis mere internis judicare: *Cogitationis poenam nemo patitur*, dicitur in *Can.* 14. *diſt.* 1. *de Poenitentia*. Ergo culpa, quae huic graviſſimae Irregularitatis poenae ſubjecta eſt, externa ſit oportet.

Prob. 3. pars. Ad incurrendam Irregularitatem ex delicto ea culpa requiritur, qua verificantur verba legis hanc poenam ſtatuentis. Ergo culpa initiata, vel tentata non parit Irregularitatem.

Prob. 4. pars. In dubio delictum non praeſumitur commiſſum. Ergo Irregularitatem non inducit.

Dixi, *excepto homicidio:* quia hujuſmodi crimen, quamvis dubium, in jure excipitur, *cap.* 28. *de Homicidio voluntario*.

Prob.5.pars. Ex Trid. *ſeſſ.XXIV. cap.* 6. *de Reform.* Epiſcopis fit poteſtas diſpenſandi ab Irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus. Ergo Concilium ſupponit quaſdam eſſe Irregularitates, quae ex delicto occulto contrahuntur.

Prop. III.

Ignorantia sive juris, sive poenae ab incurrenda Irregularitate non excusat.

Prob. I. Irregularitas non est poena medicinalis, sed primo, ac per se canonicum impedimentum, impositum non ad Rei emendationem, sed ad decentiam sacri ministerii. Ergo contrahitur tam a sciente, quam ab ignorante sive jus, sive poenam. Nam eadem est indecentia, & oppositio cum sacro ministerio, quae consurgit ab homicidio patrato cum scientia legis Ecclesiae sub Irregularitate prohibentis, quam cum ignorantia ejusdem prohibitionis.

Prob. II. Ignorantia poenae non excusat a poena; dummodo non sit censura, quae est poena medicinalis imposita ad emendationem. Ergo licet Irregularitas ex delicto sit mera poena, attamen ab ea incurrenda non excusat ignorantia. Ignorantia enim non excusat a poenis a Deo, vel hominibus sancitis. Ergo nec etiam debet excusare ab Irregularitate incurrenda: cum non sit aliqua specialis ratio, cur cognitio Irregularitatis necessaria sit ad eam incurrendam.

Ex dictis resolves I. irregularem esse, qui laborat defectu, cui de jure Irregularitas adnexa est, etsi defectus sit occultus, ac nemini notus. Idem dicendum, si per te non stet, quin defectus tollatur: quia de-

defectus licet sit occultus & inculpabilis, non per hoc tollitur, quin in subjecto realiter adsit.

Resolves II. Irregularitatem non incurrere, qui in delicto, cui adnexa est Irregularitas, ex aliqua circumstantia a mortali excusatur; quia Irregularitas est poena gravissima. Unde quidquid excusat a peccato mortali, excusat etiam ab Irregularitate ex delicto. Item Irregularitatem non contrahere, qui voluntatem habet occidendi, aliaque crimina committendi, quae non exsequitur. Item per actum mere incohatum Irregularitatem non induci: ut si quis letalia vulnera inflixerit, irregularis non fit, nisi mors ipso facto sequatur, etiamsi solo miraculo eam averti contingat. Quia ad contrahendam Irregularitatem requiritur delictum grave, externum, & consummatum.

Resolves III. neminem se debere reputare irregularem in dubio tum juris, nempe quando lex canonica obscura est, ita ut de ea dubitent peritiores. Quia Irregularitas non incurritur, nisi in jure sit expressa: tum in dubio facti, nempe quando quis dubitat, num posuerit talem actionem, cui adnexa est Irregularitas; quia delictum debet esse certum. Unde facta debita diligentia, quae communiter adhiberi solet, si adhuc in dubio perseveret,

potest Ordines suscipere, & in susceptis ministrare.

Secus in dubio facti ad homicidium pertinentis, quia est casus exceptus. De dubio facti in materia homicidii haec statuit *Innoc. III.* in *cap.* Significasti, *De Homicidio voluntario. Quod si discerni non possit, ex cujus ictu interiit fur a pluribus percussus, in hoc dubio tamquam homicida debet haberi Sacerdos, & a sacerdotali officio abstinere, etsi forte homicida non sit: cum in hoc casu cessare sit tutius, quam temere celebrare pro eo, quod in altero nullum, in reliquo vero magnum periculum timeatur.* Idem decernit *Clemens III.* in *cap.* Ad audientiam, pariter *de Homicidio.*

§. X.
De Irregularitatis Effectibus.

Nota I. Irregularitatis effectus triplex est, scilicet inhabilitas ad Ordines licite suscipiendos, inhabilitas ad Ordines licite exercendos, inhabilitas ad novum beneficium obtinendum. Ad actiones vero, quae exercitium Ordinis non requirunt, & quae etiam a laicis exerceri possunt, irregularis non est inhabilis. Unde potest quaecunque Sacramenta praeter Ordinem recipere, cum aliis communicare, in loco sacro sepeliri, minorum Ordinum officia ex-

exercere; quia haec passim nunc a laicis peraguntur: officia publica cum aliis decantare, modo abstineat ab iis, quae Ecclesiae usu sacro sunt Ordini adnexa: potest demum absolvi a peccato, propter quod Irregularitatem contraxit, antequam Irregularitatis dispensationem obtineat; quia absolutio a peccatis, ab Irregularitatis dispensatione necessario non pendet.

Nota II. Irregularitas tum ex delicto, tum ex defectu alia est *antecedens*, quae scilicet incurritur ante Ordinis susceptionem; alia *subsequens*, quae nimirum contrahitur post susceptionem Ordinis: nec quaelibet ex iis semper parit omnem effectum. Ut ergo videamus, a quanam receptione, aut administratione Ordinis, vel beneficii Irregularitas privet, vel non,

Dico I. Quaelibet Irregularitas, si est antecedens, impedimentum parit ad omnem Ordinem licite suscipiendum, etiam ad primam Tonsuram, & beneficium valide recipiendum.

Prob. 1. pars. Praecipiunt Canones, ne Irregularis in clericum ordinetur, *Can.* 2. *dist.* 33. ne divinis ministeriis applicetur, *Can.* 59. *dist.* 50. Atqui in clericum non ordinari, divinis ministeriis non applicari, est ligatio omnis Ordinis. Ergo &c.

Dixi, *etiam ad primam Tonsuram*. Nam ex decisione Rotae Romanae apud *Garciam*, admitti ad Tonsuram est divi-

nis applicari ministeriis. Atqui Irregulares non possunt divinis ministeriis applicari: ergo nec etiam admitti ad Tonsuram.

Prob. 2. pars ex Trid. *sess. XIX. cap. 7. de Reformat.* ubi statuitur, ut *nullo tempore ad sacros Ordines Irregularis promoveri possit: nec illi alia beneficia ecclesiastica, etiamsi non habeant curam animarum, conferri liceat.*

Dixi, *impedimentum ad valide recipiendum beneficium*; quia collatio beneficii facta Irregulari, non solum est illicita, sed etiam invalida, ut ex *laud. loc.* Tridentini communiter colligunt Theologi. Adde, quod Irregularitas reddit inhabilem ad officium: ergo reddere debet inhabilem ad beneficium, cum hoc detur propter officium.

Dico II. Irregularitas subsequens orta ex defectu corporis privat solum usu Ordinis, ac receptione beneficii cum defectu incompossibilis: orta vero ex alio defectu, vel ex quocunque delicto, privat usu omnis Ordinis, ac receptione, non vero administratione beneficii recepti.

Prob. 1. pars ex *cap.* Presbyterum 2. *de Clerico aegrotante*, ubi *Sacerdoti*, *qui duos digitos cum medietate palmae amisit, non permittitur Missam celebrare, sed non prohibetur ceteris officiis* Sacerdotalibus fungi. Ergo quando Irregularitas est subsequens, orta ex defectu corporis, privat solum

lum usu Ordinis cum defectu incompossibilis, non vero ceteris ministeriis. Ita pariter dicendum de beneficio, cujus administratio est incompossibilis cum defectu.

Prob. 2. pars ex communi Doctorum suffragio, qui id colligunt ex *Can. XI. dist.* 34. ubi absolute decernitur, Irregularem non posse suscepto ministerio perfrui. Idem colligitur ex *cap.* finali, *de Temporibus ordinationum*: ubi pariter absolute dicitur Irregularis non posse in susceptis ordinibus ministrare. Ergo Irregularitas subsequens omnis Ordinis usu privat.

Prob. 3. pars. Quia nullum est jus, quod ipso facto irregularem privat beneficio antea legitime obtento. Ita communiter Doctores *cap.* Ex Literis 10. *de excessibus Praelatorum*.

Dico III. Qui in Irregularitate Ordinem recipit, vel exercet, graviter peccat: sed nullam aliam poenam ipso facto latam incurrit.

Prob. 1. pars. Quia violat praeceptum Ecclesiae in re gravi ad Religionem pertinente. Ergo &c.

Prob. 2. pars. Quia nulla tali poena in jure contra irregulares violatores decernitur. Ergo &c.

Ex dictis resolves I. graviter peccare, qui in Irregularitate Ordinem recipit, etiam Tonsuram; quia pro levi haberi non

potest transgressio praecepti in materia gravi. Per Tonsuram enim homo fit membrum Cleri, ejusque privilegiorum particeps. Item graviter peccare, si exerceat Ordines in Irregularitate susceptos eo modo, quo non possunt exerceri a laicis. Item non solum illicitam, sed invalidam esse collationem beneficii Irregulari factam. Hinc 1. talis provisus de beneficio suos non potest facere beneficii fructus in Irregularitate accepti, ac proinde eosdem restituere tenetur tamquam possessor malae fidei. Quod si quis invincibiliter ignorans suam Irregularitatem, fructus beneficii bona fide percepisset, cum venerit in malam fidem, tamquam possessor bonae fidei debet restituere id, quod de fructibus exstat, vel id, in quo factus est ditior.

Hinc 2. Inhabilis est ad exercitia jurisdictionis ordinariae tali beneficio adnexae; quia haec jurisdictio fundatur in beneficio, ad quod inhabilis est Irregularis.

Hinc 3. debet Irregularis beneficium dimittere, nisi Irregularitatis dispensationem, & insuper novam collationem obtineat. Neque Irregulares juvat clausula in Apostolicis literis apponi solita; haec enim absolvit solum a censuris, non vero dispensat ab Irregularitatibus.

Resolves II. Irregularitatem subsequentem ex defectu corporis impedire usum ordinis, & beneficii receptionem, cujus munia

nia Irregularis obire nequit: ſecus ab iis, quae obire poteſt.

Hinc Sacerdos caecus, vel mutilus pollice, aut indice, non poteſt celebrare, neque beneficium pro celebratione recipere. Contra poteſt abſolvere a peccatis, & Horas canonicas recitare in Choro, & pro utroque munere beneficium recipere: quia Irregularitas eſt ſubſequens ex defectu corporis.

Reſolves III. Irregularem poſt ſuſceptionem Ordinum ex alia cauſſa, quam ex defectu corporis illicite adminiſtrare Ordines, & invalide recipere beneficium: quia Irregularitas eſt ſubſequens ex alia cauſſa, quam ex defectu corporis. Contra poſſe valide, ac licite retinere beneficium antea obtentum, & conſequenter uti juriſdictione ipſi adnexa; quia illa non eſt receptio, ſed adminiſtratio beneficii recepti. Verum ſi Irregularitatis diſpenſatio impetranda non ſit; beneficium erit ſponte reſignandum ſive abſolute, ſive in favorem tertii.

Reſolves IV. Irregularem inhabilem eſſe ad recipiendam de novo juriſdictionem ordinariam ſive in interiore, ſive in exteriore foro. Quia juriſdictio ordinaria fundatur in novo beneficio, aut officio, quorum collatio facta Irregulari eſt nulla, ac proinde nulla debet eſſe juriſdictio, quae in his fundatur. Hinc Irregularis, ſi foret Parochus, invalide abſolveret,

ret, nisi interveniat error communis : secus de jurisdictione delegata, quae beneficio non est adnexa. Hinc plures docent ab Irregulari posse valide, ac licite recipi jurisdictionem delegatam, quia jurisdictio delegata non pendet a beneficio, sed solum a voluntate delegantis ; & haec quidem voluntas nulla lege irritatur, quoad Irregulares. Verum Irregularis non potest licite, etsi valide uti jurisdictione ad audiendas Confessiones : quia hac facultate non potest uti, nisi cum exercitio sacri Ordinis.

§. XI.
De Irregularitatis Dispensatione.

Quamvis modus Irregularitatis auferendae sit ecclesiastici superioris dispensatio: adhuc tamen aliquando absque ulla dispensatione superioris tollitur, quando scilicet per seipsam cessat. Verum quia non semper & in omni Irregularitate haec cessatio habetur, sed in quibusdam tantum, & stante certa caussa : hinc ad cognoscendum quando per seipsam cessat, vel non,

Q. I. *Quomodo cesset Irregularitas?*

R. I. Irregularitatem ex delicto, vel ex defectu lenitatis cessare per susceptionem baptismi, ut supra probatum est.

R. II. Irregularitatem ex defectu natalium cessare per canonicam legitimationem,

nem, vel professionem religiosam. Hinc si filius naturalis legitimetur per subsequens matrimonium, vel si spurius legitimetur a potestate ecclesiastica, desinit esse irregularis: quia haec legitimatio est canonica; secus, si legitimetur a potestate laica. Similiter illegitimus sive naturalis, sive spurius per professionem in Religione approbata evadit habilis ad sacros Ordines, non vero ad Praelaturas etiam Regularium.

R. III. Irregularitatem ex defectu, quae habet caussam transitoriam, cessare, cessante eâdem caussâ. Hinc qui sunt irregulares defectu aetatis, scientiae, libertatis, bonae famae, illico desinunt esse irregulares adepta aetate, scientia, bona fama, libertate.

Q. II. *Quinam dispensare possint ab Irregularitatibus?*

R. I. Summum Pontificem posse valide dispensare in omni Irregularitate.

R. II. Episcopos ex concessione Trid. *sess. XXIV. cap. 6. de Reform.* posse dispensare suos subditos ab omnibus Irregularitatibus ex delicto occulto, & quae non sunt ad forum contentiosum deductae, excepta Irregularitate ex homicidio voluntario. Posse etiam dispensare cum illegitimo ad Ordines minores, & beneficium simplex non requirens majorem Ordinem, *cap.* Ut filii, *de filiis Presbyterorum*. Denique dispensare posse in bigamia similitudinaria, *cap.* Sa-

Sane, *de Clerico conjugato*.

Dixi, *excepta Irregularitate, quae oritur ex homicidio voluntario*: nam solus Papa ab hac dispensare valet. Plures docent Episcopum posse cum homicida dispensare, quando homicidium est indirecte voluntarium; puta cum eo, qui percutiendo praegnantem, casu efficit, ut eveniat abortus: quia restrictio Tridentini intelligitur de homicidio mere voluntario. Posse saltem ad tempus dispensare cum eo, qui hîc & nunc ob imminens scandalum nequit aliquem actum Ordinis omittere.

R. III. Praelatos regulares posse cum suis subditis, non secus ac Episcopos dispensare. Num Confessarii regulares valeant dispensare cum secularibus ab Irregularitatibus, quemadmodum Episcopi, multi affirmant, Bullam *Xysti IV.* allegantes: Sed haec privilegia sunt ipsis Regularibus suspecta, ut toties fatetur doctissimus *Concina*.

TRA-

TRACTATUS
DE CASTITATE, EIQUE OPPOSITIS VITIIS.

CAP. I.

De Castitate.

Q. QUid, & quotuplex sit Castitas?

R. I. Castitas, ut supra diximus, est *virtus, quae regit, ac refrenat appetitum in usu venereorum*. Cum enim munus abstinentiae sit moderari usum esculentorum, & officium sobrietatis versetur in regendo usu poculentorum; ad Castitatem spectat regere, ac refrenare usum venereorum, ne homines plus, aut alio tempore, vel loco, aut modo venereis delectentur, aut utantur, quam recta ratio dictat secundum uniuscujusque statum.

R. II. Castitas duplex est: alia perfecta, imperfecta altera. *Perfecta* ab omnibus venereis voluptatibus, nuptiis etiam exclusis, perpetuo abstinet, & appellatur proprie *Virginitas*: *Imperfecta* quae solum ab illicitis voluptatibus carnis cohibet, & haec communiter dici solet *Castitas*, quae in Conjugalem, & Vidualem dispescitur.

Con-

Conjugalis est abstinentia ab omni carnali copula illicita, servando in matrimonii usu locum, tempus, modum, & finem ab eo praescriptum. *Vidualis* est, quae post matrimonium ab omni carnali copula, delectationibusque venereis se abstinet, & cohibet.

CAP. II.

De Vitiis Castitati oppositis.

Q. I. *Quae vitia opponantur Castitati?* R. Castitati opponitur Luxuria, quae, ut in *Tract. de Peccatis* diximus, est *inordinatus venereae voluptatis appetitus*. Dicitur *inordinatus appetitus*: Nam usus venereorum potest esse licitus, si juxta rationis ordinem, & dictamen instituatur. *Sicut usus ciborum*, inquit Angelicus 2. 2. *q.* 153. *art.* 2. *potest esse absque peccato, si fiat debito modo, & ordine, secundum quod competit saluti corporis; ita etiam usus venereorum potest esse absque omni peccato, si fiat debito modo, & ordine, secundum quod est conveniens ad finem generationis humanae.*

Q. II. *Quomodo dividatur Luxuria?*

R. Luxuria alia *perfecta* est, altera *imperfecta*: in prima semen effunditur, non

non vero in altera. Perfecta alia *naturalis* est, *innaturalis* altera. Naturalis dicitur, non quia licita, sed quia conditiones ad generationem requisitae in ea servantur: innaturalis vero seu contra naturam ordini a Deo statuto ad humanam generationem adversatur.

Q. III. *Num Luxuria sit peccatum mortale, & capitale?*

R. I. Luxuriam esse ex genere suo peccatum mortale, diximus in *Tract. de Peccatis*.

R. II. Luxuriam esse etiam vitium capitale, probat *D. Thomas* 2. 2. *q.* 153. *art.* 4. *Vitium capitale* (sunt verba *D. Thomae*) *est quod habet finem multum appetibilem; ita quod ex ejus appetitu homo procedat ad multa peccata perpetranda: quae omnia ex illo vitio, tanquam ex principali, oriri dicuntur. Finis autem Luxuriae est delectatio venereorum, quae est maxima. Unde hujusmodi delectatio est maxime appetibilis secundum appetitum sensitivum, tum propter vehementiam delectationis, tum etiam propter connaturalitatem hujusmodi concupiscentiae. Unde manifestum est, quod Luxuria est vitium capitale.*

Q. IV. *Quot sint species Luxuriae perfectae naturalis?*

R. Sex numerari species, nimirum simplicem fornicationem, stuprum, adulterium, raptum, incestum, & sacrilegium: de

de quibus leviori quoad fieri potest calamo, sigillatim agemus.

§. I.
De Simplici Fornicatione.

Q. I. *Quaenam sit simplex Fornicatio?*

R. Est *Concubitus humanus naturalis soluti cum soluta corrupta*. Dicitur, *soluti cum soluta*: qui scilicet nullo vinculo aut impedimento sunt irretiti ad contrahendum inter se matrimonium. Dicitur *corrupta*, ut discriminatur a stupro.

Q. II. *Num simplex Fornicatio sit peccatum mortale a Deo prohibitum?*

R. Affir. & est de fide. Ita quippe definitum est in *Clementina* Ad Nostram *de Haereticis* contra Beguardos, & Beguinas, & constat ex utriusque foederis monumentis, & praecipue ex Apostolo *ad Ephes. V. Omnis Fornicator non habet hereditatem in Regno Christi*; & ex *I. ad Cor. VI. Neque Fornicarii Regnum Dei possidebunt*.

Q. III. *Num sit etiam naturae lege prohibita?*

R. Affir. Probatur. Quod graviter repugnat bonae ac debitae educationi prolis, hoc naturae lege prohibitum est. Atqui simplex fornicatio repugnat debitae prolis nutritioni & educationi; nam ad debitam prolis educationem & nutritionem exigitur, ut duo copulati arto inter se vinculo

culo devinciantur, & obstringantur; aliter prolis nutritio, educatio, & institutio incerta esset, & periculo exposita: quo vinculo non colliguntur fornicatores. Ergo si fornicatio simplex repugnat graviter bonae ac debitae prolis educationi, & institutioni, graviter a natura prohibita est.

Dices. Potest dari casus, quo vir se obliget ad convenientem prolis educationem, & eo casu non erit mala fornicatio.

R. Hoc non officit, cum per accidens sit, ut vir se obliget ad prolis educationem, & instructionem. Contra vero lex naturae cum lata sit respectu communitatis, ad ea quae per se contingunt, attendit, ut optime tradit *D. Thomas* 2. 2. *q.* 159. *art.* 2. inquiens: *Id quod cedit sub legis determinatione, judicatur secundum id quod communiter accidit, & non secundum id quod in aliquo casu potest accidere.*

Hinc merito proscripta fuit ab *Innoc. XI.* ista propositio n. 48. *Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solum esse malam, quia interdictam, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.* Quae propositio septimo Beguardorum, ac Beguinarum errori a *Clem. V.* in Conc. Viennensi damnato, affinis est.

Hinc colliges, Fornicationem, quae ex se gravis est, graviorem esse, si habea-

beatur cum concubina; quia concubinarius statum, & perseverantiam addit in fornicatione. Quamobrem non solum fornicationum cum concubina commissarum numerus in sacramentali Confessione detegendus est, verum & temporis intervallum declarandum, quo ipsam apud se detinuit, vel cum ea alibi manente impudicum exercuit commercium concubinarius: cum verosimile non sit, id absque gravi proximorum scandalo factum esse.

§. II.
De Stupro.

De Stupro relate ad ejus definitionem, & restitutionis obligationem inde exortam actum a nobis est in *Tractat. de Restit.* nunc de ejus gravitate, ceterisque ad Confessionem spectantibus differendum.

Q. I. *Num Stuprum sit grave peccatum?*

R. Affir. Ita omnes. Consulatur *D. Thomas* 2. 2. *q.* 154. *art.* 6,

Q. II. *Num Stupri peccatum sit violatio puellae sub cura parentum exsistentis, si ipsa consentiat?*

R. Affir. Nam consensus puellae est illicitus, cum ipsa non polleat dominio corporis sui, ut illo abuti possit, prout voluntas suggerit, sed domina est sui corporis juxta leges a natura, & Deo praescriptas.

ptas. Peccat ergo contra hunc ordinem & puella consentiens, & ejus corruptor. Hanc sententiam conceptis verbis docent *D. Thomas*, & *D. Antoninus*. *Stuprum*, inquit *D. Th.* 2. 2. *q.* 154. *art.* 7. in c. *sine raptu invenitur, quando aliquis absque violentiae illatione virginem illicite deflorat*. Adstipulatur *D. Thomae S. Antoninus II. Part. lib. V. cap. 6. Nec peccatum stupri evadunt ex hoc, quod de voluntate puellae . . . hoc agant*.

Idem dic, si etiam parentes consentiant, cum ipsi jus habeant eam custodiendi, non vero deflorationi tradendi: consensus autem parentum, aut ipsius puellae hoc utique praestat, ut in conscientiae foro, & spectato rigore justitiae violator virginis ad nihil teneatur, ut diximus cum *Concina* in *Tract. de Restit.*

Qui igitur virginem etiam consentientem defloravit, tenetur adhuc detegere in Confessione hanc circumstantiam deflorationis, quamvis ipsi quoque parentes assenserint: & ipsa puella consensum praebens, debet se accusare de virginitatis suae jactura.

Idem sentiendum de delectationibus & pravis desideriis adolescentis virginem deflorare cupientis, & virginis corrumpi exoptantis ab adolescente; etiamsi desideria ab illatione violentiae sejuncta sint.

§. III.

§. III.
De Adulterio .

De Adulterii definitione, deque restitutionis obligatione actum est a nobis in *Tract. de Restit.* unde his praetermissis,

Q. I. *Num Adulterium sit grave peccatum?*

R. Affir. Nam est contra jus alterius conjugis, cum fides ei data violetur in materia gravi; & constat etiam ex Scriptura excludente a Regno Caelorum adulteros, ajente Apostolo *ad Cor. VI. Neque adulteri . . . . . Regnum Dei possidebunt.*

Q. II. *An adulterium committat conjux, si, consentiente marito, rem habeat cum alio?*

R. Affir. Nam adhuc est contra jus conjugii, & conjugis ut conjux est: quod jus cum sit inabdicabile, eique competat non ad bonum privatum, sed ratione status, qui communis est, valide cedi non potest: nec consensus conjugis, sed sola ejus mors viventem liberat a lege alterius. Ideoque sicut manet vinculum istud, quamdiu in vivis agunt, nec in eorum potestate est illud solvere; ita sine adulterii crimine nequeunt cum aliis rem habere.

Recte itaque inter alios errores, hanc etiam propositionem ordine 50. diris devovit *Innocentius XI. Copula cum conjugata,*

con-

consentiente marito, non est adulterium, ideoque sufficit in Confessione dicere, se esse fornicatum.

Hinc si quis solutus copuletur cum conjugata, duplex peccatum committit specie distinctum in Confessione detegendum; unum contra castitatem, alterum contra justitiam: & si conjugatus habeat copulam cum conjugata, triplex peccatum specie distinctum perpetrat; unum contra castitatem, alterum contra jus propriae conjugis, tertium contra jus alterius conjugis.

§. IV.
De Raptu.

Raptus dupliciter accipi potest, 1. prout est impedimentum dirimens matrimonium, & de eo hac acceptione sumto agemus in *Tract. de Matrim.* 2. prout est luxuriae species, & de eo sic sumto agimus in praesenti.

Q. I. *Quid sit Raptus, prout est luxuriae species?*

R. Est *violenta personae abductio de loco in locum explendae libidinis caussâ.* Dicitur 1. *violenta abductio*, cum ad constituendum veri nominis raptum necessaria sit violentia illata aut personae abductae, aut patri vel tutori, sub cujus cura exstat. Dicitur 2. *personae*, non virginis, non mulieris &c. quia non solum si rapiatur fe-

mina sive virgo sit, sive nupta, sive vidua, sed etiam si rapiatur vir ad pravum finem, raptus ratio verificatur. Dicitur 3. *de loco in locum.* Nam non sufficit ad crimen raptus constituendum, si persona abducatur de uno in alium locum ejusdem paternae domus libidinis caussâ: sed requiritur, ut persona transferatur de loco, sub patris vel tutoris potestate exstante ad alium locum, in quo sit sub potestate raptoris. Dicitur 4. *explendae libidinis caussâ.* Nam si persona abducatur non libidinis, sed servitutis caussâ, tunc non raptus, sed plagium committitur.

Q. II. *Quale, & quotuplex peccatum sit Raptus?*

R. Raptus prout est luxuriae species, est grave peccatum, cum sit violatio juris in materia gravi, vel personae, quae invita rapitur, vel parentum aut tutorum, sub quorum potestate degit, cum habeant jus illam custodiendi. Multiplicem continet in se malitiam necessario in Confessione denudandam, unam gravem contra castitatem; alteram contra justitiam ob injuriam, & vim illatam personae invitae abductae; tertiam contra parentes jus habentes in illam, si ipsis etiam invitis raptus habeatur: & potest habere adjunctas alias malitias specie quoque distinctas, si nempe raptus concurrat cum abductione consanguineae, conjugatae, personae sacrae &c.

§.V.

§. V.
De Incestu.

Q. I. *Quid sit Incestus?*

R. Incestus *est abusus consanguineorum vel affinium per copulam carnalem intra gradus ab Ecclesia prohibitos*. Quae definitio colligitur ex *D.Th.* 2.2. *q.*154. *art.*9. Gradus autem ab Ecclesia definiti sive consanguinitatis, sive affinitatis ex legitimo matrimonio contracti, sunt quatuor; ex fornicatione vero duo. Quicunque ergo hoc crimen committit cum personis intra horum graduum cancellos consanguinitatis, aut affinitatis vinculo sibi obstrictis, praeter luxuriae peccatum, etiam incestus crimen perpetrat in Confessione necessario explicandum.

Q. II. *Num Incestus sit grave peccatum?*

R. Affir. Nam copula cum recensitis personis habita, repugnat pietati & reverentiae ex lege naturae consanguineis, & affinibus debitae. Ergo &c.

Q. III. *Num omnia Incestus peccata ejusdem sint speciei?*

R. Neg. Nam incestus cum consanguineis specie differt ab incestu cum affinibus. Quia reverentia consanguineis debita, notabiliter diversa est ab honorificentia affinibus praestanda: cum illa origi-

 nem

nem trahat ab eodem communi stipite, immediate vel mediate ab una communi radice procedendo; haec vero ob illicitam conjunctionem cum illa persona, cum qua quis consanguinitate ligatur. Sed hujusmodi conjunctionis principia valde sunt inter se diversa. Ergo &c.

Praeterea inter incestus cum consanguineis, vel affinibus ratio habenda est diversitatis graduum. Nam quo artior ac propinquior est gradus, eo gravius est scelus. Hinc omnes isti gradus sunt necessario in Confessione explicandi.

Q. IV. *Num copula cum cognatis spiritualibus sit vere incestus, & luxuriae species distincta?*

Nota. Praeter cognatos naturales dantur & alii, qui spirituales dicuntur. Haec autem spiritualis cognatio contrahitur in duobus sacramentis, videlicet in Baptismate, & Confirmatione, de qua consule dicenda in *Tract. de Matrimonio*.

R. Affir. Prob. 1. pars. Inter cognatos spirituales intercedit conjunctio similis illi, quae reperitur inter cognatos naturales, & quae dirimit etiam matrimonium inter illos. Sed per copulam hujusmodi conjunctio violatur. Ergo sicut per violationem conjunctionis, & reverentiae consanguineis, & affinibus debitae, committitur incestus; ita etiam si haec habeatur inter cognatos spirituales.

Prob.

Prob.2. pars. Vi cognationis spiritualis debetur reverentia ipsis cognatis spiritualibus. Sed haec reverentia utpote ex diversa radice proveniens, est specie distincta a reverentia debita cognatis naturalibus. Ergo diversam specie rationem habent hujusmodi incestus. Imo habent etiam rationem sacrilegii per violationem reverentiae erga sacramenta Baptismatis, & Confirmationis, ut docet *D. Thomas* 2. 2. *q.* 154. *art.* 10. ad 2.

Hinc detegendi sunt in Confessione gradus cognationis spiritualis, adversus quos incestus commissi sunt.

§. VI.
De Sacrilegio.

Sacrilegium potest considerari & prout opponitur Religioni, de quo alibi verba fecimus; & prout est species luxuriae, de qua acceptione modo agimus.

Q. I. *Quid sit Sacrilegium, prout est species luxuriae?*

R. Est violatio rei sacrae per actum venereum.

Q. II. *Quid veniat nomine rei sacrae?*

R. Persona sacra, & locus sacer.

Q. III. *Quid intelligatur nomine personae sacrae?*

R. Ea omnis quae vel est sacris Ordinibus inaugurata, aut solemniter professa,

aut etiam simplici castitatis voto obstricta. Itaque quando aliquis sacris initiatus, vel solemniter professus, vel voto simplici castitatis ligatus, contra castitatem aut mente, aut opere peccat, sacrilegium committit.

Q. IV. *Quid significetur nomine loci sacri?*

R. Significari Ecclesiam vel consecratam, vel benedictam, insuper coemeterium ad fidelium sepulturam destinatum, & Oratoria publica: non vero sacristiam, aut Oratorium privatum juxta communem sententiam, *Concina* tamen reclamante. Quicunque ergo in laudatis locis exterius audet castitatis virtutem quomodolibet temerare (licet etiam de conjugatis agatur), sanctitatem loci sacri violat, & sacrilegus est. Quae circumstantia necessario est in Confessione explicanda.

C A P. III.

De Peccatis Luxuriae contra naturam consummatae.

DIximus modo peccata luxuriae consummatae contra naturam ea esse, ex quibus generatio sequi non potest. Horum

rum species quatuor sunt, ex *D. Thoma* 2. 2. *q.* 154. *art.* 11. scilicet pollutio seu mollities, bestialitas, sodomia, & inordinatus concubitus, de quibus breviter.

§. I.
De Pollutione seu Mollitie.

Q. I. *Quid sit Pollutio voluntaria?*

R. Est effusio deliberata seminis sine concubitu.

Q. II. *Num Pollutio voluntaria sit per se, & naturâ suâ mala?*

R. Affir. Nam repugnat generationi, & propagationi generis humani a natura primario intentae. Atqui hunc finem destruit voluntaria Pollutio, cum gravissime laedat ordinem naturalem. Ergo &c. Hinc *Geneseos XXXVIII.* de *Onan* hoc crimine inquinato dicitur: *Et idcirco percussit eum Dominus, eo quod rem detestabilem faceret.* Et *Innocentius XI.* hanc propositionem *Joannis Caramuelis* diris devovit: *Mollities jure naturae prohibita non est: unde si Deus eam non interdixisset, saepe esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.*

Q. III. *An, & quando licitum sit ponere actionem, qua praevideatur secutura Pollutio?*

R. I. Si nulla intercedat justa vel necessaria ratio ponendi actionem, unde prae-

 vi-

videatur proxime secutura pollutio, licet haec non intendatur; procul dubio est grave peccatum. Nam volitam esse in caussa hujusmodi deordinationem, constat inter omnes.

Ubi vero justa & gravis caussa, ac moralis necessitas sit ponendi actionem, dummodo procul amoveatur periculum consensus, reus culpae non censetur; cum volita non sit ea deordinatio.

R. II. Non est peccatum mortale ponere actionem, ex qua tanquam caussa remota praevidetur secutura Pollutio, secluso consensus periculo. Nam cum caussa sit remota, pollutio si sequatur, non profluit ex caussa posita, sed velut ex naturali conditione subjecti: & aliunde istae caussae vitari vix possunt.

Q. IV. *Num liceat desiderare Pollutionem in somno ob finem honestum, puta sanitatis?*

R. I. cum *D. Thoma in IV. Sent. dist. 9. q. 1. art. 4. ad 5. Si autem placeat ut naturae exoneratio vel alleviatio, peccatum non creditur.*

R. II. Probabilior est sententia *Dominici Soto*, *Sylvii*, *Natalis Alexandri*, aliorumque asserentium esse peccatum mortale, exoptare Pollutionem in somno contingentem, quamvis ob finem honestum: cum sit intrinsece mala.

§. II.

§. II.
De Bestialitate.

Q. *Quid Bestialitas, & quale peccatum sit?*

R. Est *concubitus cum individuo alterius speciei*: qui gravissimum peccatum est, excedens omnia alia flagitia contra naturam, cum prae ceteris maxime recedat ab ordine rationis.

§. III.
De Sodomia.

Q. I. *Quid, & quale peccatum sit Sodomia?*

R. Est *concubitus ad non debitum sexum*, ut ex *D. Thoma* 2.2. *q.* 154. *art.* 11. *in c.* Est autem peccatum gravissimum, ut patet ex Scriptura, & SS. Patribus. Nam Deus infandum hoc crimen terribili ac tremendo supplicio multavit, cum Sodomam, & Gomorrham, omnemque finitimam regionem combusserit igne, & sulphure e Caelo demissis, *Genes. XVIII.* Et constat etiam ex Christianorum Principum legibus, qui gladio, & igne scelus tantum vindicari sanxerunt, ut *Constantius*, & *Constans* Impp. *l. cum vir* ad legem Juliam *de Adulteriis*, ut *Valentinianus*, *Theodosius*, & *Arcadius* Augusti *l. 6.*

Tit. VII. lib. IX. Cod. Theod.

Q. II. *Num in peccato Sodomiae circumstantia consanguinitatis vel affinitatis addat speciem incestus in Confessione explicandam?*

R. Acriter disputant inter se Theologi. Alii enim negant, Sodomiam inter cognatos, & affines incestum esse. At probabilior sententia, quam defendunt *Salmanticenses*, *Concina*, aliique, docet sodomiam inter cognatos vel affines rationem induere incestus specie diversi, adeoque debere poenitentem has circumstantias in Confessione aperire. Turpius enim laeditur pietas & reverentia consanguineis debita per sodomiam, quam per copulam naturalem.

§. IV.

De Innaturali concumbendi Modo.

Q. I. *Quid, & quale peccatum sit?*

R. Est rei venereae deordinata congressio, sodomiae speciem praeseferens, quae peccatum mortale est contra naturam essentialiter & specifice ab illa diversum. De hoc innaturali concumbendi modo plura dicere hîc supersedeo, sermonem iterum in *Tract. de Matrimonio* instituturus.

Q. II. *An specie differant inter se omnia peccata contra naturam?*

R. Affir. cum quilibet ex his modis importet specialem turpitudinem contrariam ca-

castitati, & humanae generationi. Horum enim quilibet privat bono aliquo a natura instituto, & ordinato ad prolis generationem. Hinc merito *Alexander VII.* proscripsit hanc propositionem: *Mollities, Sodomia, & Bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimae; ideoque sufficit dicere in Confessione, se procurasse pollutionem.*

Q. III. *Quodnam ex his sceleribus gravius sit, atque enormius?*

R. Inspectis hisce vitiis, & in propria luxuriae specie consideratis, gravissimum omnium est bestialitas, dein sodomia, tum mollities seu pollutio, tandem inordinatus concubitus. Sic *D. Thomas 2. 2. q. 154. art. 12. ad 9.*

C A P. IV.

De Peccatis Luxuriae non consummatae.

PEccata Luxuriae non consummatae sunt desideria, delectatio morosa, obscena verba, gestus turpes, & alia id genus. De desiderio malo, ac morosa delectatione actum a nobis est, quantum sat erat ad Confessariorum instructionem in *Tract. de Peccatis*, nunc de aliis brevitur.

Q. I. *Num tactus, oscula, amplexus impudici, turpes gestus &c. sint peccata gravia?*

R. I. Hujusmodi oscula &c. si ob delectationem turpem exerceantur, etiamsi sint partium honestarum, sunt culpa mortalis. Cum enim pollutio sit suapte natura peccatum mortale, quando est voluntaria, ut supra probatum est, omnis actus ad illam tendens, est etiam mortalis. Atqui omnis delectatio venerea naturâ suâ tendit & ordinatur ad seminis effusionem, & quaedam ipsius inchoatio est. Ergo &c.

R. II. Amplexus, oscula &c. non impudica, puta in partibus honestis ob solam delectationem sensibilem & naturalem exercita, sunt peccata etiam mortalia inter personas diversi sexus libidines capaces, saltem si fiant cum mora vel repetitione, quamvis non intendatur expresse delectatio venerea. Nam moraliter loquendo semper secum ferunt periculum in delectationem veneream deveniendi, eique consentiendi: cum tanta sit humanae naturae corruptio, ut nulla detur securitas sistendi in mera delectatione sensibili, & non ultra progrediendi ad veneream. Hinc merito sequens propositio proscripta fuit ab *Alexandro VII.* quae sic se habet: *Est probabilis opinio, quae dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quae*

quae ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis.

Q. II. *Quale peccatum sit turpia loqui, canere, legere, vel audire?*

R. Cum *D. Antonino P. II. tit.* 1. *cap.* 1. §. 8. *De hoc nulli dubium est, quod qui dicit verba turpia & lasciva hac intentione, ut se, vel alium provocet ad luxuriam, vel se mente delectandi in locutione . . . turpium extra matrimonium, mortaliter peccat . . . Sed ubi talia verba turpia dicuntur ex quadam levitate ad solatium, quamvis de se non videantur mortalia, quia peccata oris secundum Thomam permaxime judicantur quoad gravitatem peccati ex intentione proferentis; tamen per accidens potest esse mortale ibi, ratione scandali seu ruinae inde sequentis in mente alicujus. Ut cum audientes sunt debiles spiritu, & verba essent multum lasciva. Idem videtur dicendum de facientibus, vel cantantibus cantilenas plenas lasciviis.*

C A P. V.

De Luxuriae filiabus, ejusque Remediis.

S. *Gregorius Lib.* 31. *Moralium cap.* 17. octo recenset luxuriae filias, quarum quatuor, ut dicit *D. Thomas* 2. 2. *q.* 153. *art.*

*art.*5. ad intellectum, quatuor ad voluntatem pertinent. Quae ad intellectum spectant, sunt *castitas mentis*, *inconsideratio*, *praecipitatio*, *inconstantia*; quae vero ad voluntatem, sunt *amor sui*, *odium Dei*, *affectus praesentis seculi*, & *horror futuri*: quas qui scere cupit, adeat *D. Thomam* loco cit. & *Natalem Alexandrum* in sua *Theologia Dogmatica & Morali tom. II. lib.* 3. *art.* 9.

Remedia contra luxuriam alia consistunt, inquit Catechismus Conc. Triden. *P. III. cap.* 7. in cogitatione, in actione alia. Primi generis remedia sunt attente inspicere, & meditare hujus peccati turpitudinem, perniciem, & poenas quae ipsum consequuntur.

Secundi generis remedia sunt otii fuga, nec non crapulae, & ebrietatis, quae ad libidinem excitant: occasiones vitare, praecipue mulierum consuetudines, choreas, theatra, & comoedias, ut Ss. Patres nos condocefaciunt: vigilans custodia & mortificatio sensuum & spiritus, jugis ad Deum oratio, jejunia, & alia quae legi possunt apud *Nat. Alex.* loco cit.

TRA-

TRACTATUS
DE JEJUNIO.

SEcundo Ecclesiae praecepto praescribitur Jejunium diebus Quadragesimae, Quatuor Temporum, ac Vigiliarum, & abstinentia a carnibus singulis sextis Feriis, ac Sabbatis, die Nativitatis Domini excepto, uti habetur ex variis Canonibus, & consuetudine Ecclesiae.

Hujusmodi autem praeceptum suapte naturâ, exclusâ etiam inobedientiâ expressâ, graviter obligat; tum quia praecepta Ecclesiae, ut fatentur omnes, graviter obligant; tum quia materia illius gravis est. Unde merito *Alexander VII.* sequentem damnavit propositionem: *Frangens jejunium Ecclesiae, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemtu vel inobedientiâ hoc faciat, puta quia non vult se subjicere praecepto.*

Triplex porro Jejunium distinguitur, *spirituale* scilicet, *naturale*, & *ecclesiasticum*. Jejunium *spirituale* dicitur abstinentia a vitiis, juxta illud *Augustini Tract. 17. in Joan. Jejunium magnum & generale est abstinere ab iniquitatibus, & illicitis voluptatibus seculi.*

Je-

Jejunium *naturale* est omnimoda abstinentia cibi, & potus a media nocte praecedente. Hoc Jejunium requiritur ad Eucharistiae sumtionem.

Jejunium *ecclesiasticum*, de quo solum in praesenti Tractatu sermo erit, abstinentia est a quibusdam cibis, cum unica in die refectione, hora competenti sumenda. Jejunium hoc dicitur ecclesiasticum, eo quod observari debeat juxta regulas ab Ecclesia praescriptas.

Igitur juxta allatam definitionem tria ad Jejunium requiruntur, 1. abstinentia a quibusdam cibis. 2. Unica refectio. 3. Ejusdem refectionis certa hora. Quae omnia tribus paragraphis exponemus, postremo caussas a Jejunio excusantes addituri.

§. I.
De Jejunii Cibo.

Q. I. *A quibus Cibis Jejunii tempore sit abstinendum?*

R. I. Ab esu carnium. Carnium autem nomine intelligitur tum substantia animalium, prout distinguuntur a piscibus; tum ea, quae substantiae hujus partes sunt, ut sanguis, adeps, & similia; tum ea, quae carnis substantiam continent, ut jusculum e carnibus expressum. Unde qui tempore Jejunii ab iis non sese abstinet, graviter peccat, nisi parvitas materiae excu-

cuſet. Quaenam ſit vero ſit materiae parvitas in carnis comeſtione, non conveniunt Theologi: multi docent, octavam unciae partem eſſe.

Dixi, *prout diſtinguuntur a piſcibus*. Nam piſces, aliave animalia, quae ad piſces reducuntur, ut ſunt locuſtae, ranae, limaces, teſtudines, & conchae, diebus jejunii licite comedi poſſunt. Quia hujuſmodi animalia ſaltem aequiparantur piſcibus, cum vix habeant ſanguinem, vel ſanguinem frigidum; vel quia nutriuntur in aquis inſtar piſcium. Idem dicunt de lutris, caſtoribus, fibris, & de anatribus cujuſdam generis. Idem docent de viperis, quae ſimiles ſunt anguillis. Aves tamen, licet aliquae nutriantur in aquis, habentur ut verae carnes. Hinc corvi marini, fulicae, & ſimiles, quamvis piſcium ſaporem habeant, diebus jejuniorum comedi minime poſſunt. Si de quibuſdam animalibus dubitetur, an piſcibus ſint accenſenda, conſuletur praxis, & conſuetudo timoratorum.

R. II. In Quadrageſimali jejunio communi jure, & ſub gravi culpa etiam a lacticiniis, & ovis abſtinemus, ut colligitur ex *Cap.* Denique, *Diſt.*4. Quare *Alexander VII.* hanc propoſitionem damnavit: *Non eſt evidens, quod conſuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadrageſimo obliget.*

Di-

Dixi, *in quadragesimali jejunio &c.* Nam in jejuniis extra Quadragesimam, ut sunt jejunia Quatuor Temporum, & Vigiliarum, & alia ex jure communi, non sunt vetita: sed attendenda est consuetudo locorum. Ita *D. Thomas*, qui 2. 2. *q.* 147. *art.* 8. *ad* 3. haec habet: *Inter alia jejunia solemnius est quadragesimale jejunium .... & ideo in quolibet jejunio interdicitur usus carnium; in jejunio autem quadragesimali interdicuntur universaliter etiam ova, & lacticinia: circa quorum abstinentiam in aliis jejuniis diversae consuetudines exsistunt apud diversos, quas quisque observare debet secundum morem eorum, inter quos versatur.*

Neapoli ex Synodo prohibentur ova, & lacticinia in Vigiliis, & quatuor Temporibus extra Quadragesimam. Eadem Synodus declarat prohibitum esse usum adipis suilli, & axungiae diebus, in quibus ex praecepto Ecclesiae abstinendum est ab esu carnium.

Q. II. *Quot peccata committat qui pluries die jejunii carnes comedit?*

R. Toties peccat, quoties carnes comedit. Quia praeceptum prohibens carnium esum, negativum est, quod toto die obligat. Ergo in qualibet comestione praeceptum infringitur, ac proinde peccatum multiplicatur.

§. II.

§. II.
De Unica Jejunii Refectione.

Q. I. *An ad substantiam jejunii ecclesiastici requiratur, ut intra spatium diei naturalis nonnisi unica fiat Refectio?*

R. Affir. *Ecclesiae moderamine statutum est*, ait *D. Thomas 2. 2. q. 146. art. 6. ut semel in die a jejunantibus comedatur.* Huic Refectioni ex consuetudine addita est vespertina caenula, de qua infra.

Hinc qui duplicem die sumit refectionem, praeceptum violat, & graviter peccat; nisi parvitas materiae excuset. In cibis esurialibus quaenam quantitas habenda sit pro parva materia, Casuistae pro more disputant. Communiter docent, esse unam unciam. Verum qui saepius quid parvum comedit extra refectionem, peccat mortater, cum ad notabilem quantitatem pervenerit: & ita declaravit *Alexander VII.* qui hanc propositionem damnavit: *In die jejunii, qui saepius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.* Ratio est, quia aeque opponitur legi materia notabilis prohibita, sive simul, sive divisim sumatur.

Q. II. *An qui pluries die jejunii comedit, servato ciborum delectu, pluries etiam peccet?*

R.Af-

R. Affir. Ita multi graviores Theologi, inter quos *Joannes de Neapoli* apud *D. Antoninum*, *Covvarruvias*, *Sylvius*, *Henricus de S.Ignatio*, *Wincers*. Quia praeceptum unicae refectionis in ſe eſt negativum, cum plures prohibeat comeſtiones. Ergo ſicut repetita tranſgreſſio in eſu carnium multiplicat peccatum, ita repetita violatio in unica refectione peccatum iterat.

Hinc qui inadvertenter jejunium frangit, tenetur illa die, cum advertit, eo quo poteſt modo, jejunium ſervare.

Q. III. *An Refectio unica debeat eſſe moraliter continua?*

R. Affir. Alias non poſſet dici una, ſed multiplex refectio.

Quale autem temporis intervallum requiratur, ut interruptio ſit moralis, id arbitrio prudentum relinquendum eſt, habita ratione tum negotii, propter quod interrumpitur refectio; tum temporis, loci, & intentionis illius, qui interrumpit. Hinc qui ſurgit a menſa, animo non reſumendi refectionem, jejunium frangit, ſi peracto negotio, iterum comedat; quia non amplius cenſetur unica comeſtio. Contra qui credit prandium finitum, involvitque mappulam, & alio novo ferculo producto comedit, non violat jejunium; quia adhuc cenſetur idem prandium moraliter durare. Lectores menſae, & famuli, ſi aliquid ſumant immediate ante domini menſam, cen-

ſen-

ſentur refectionem incipere, quam ob legendi, & inſerviendi neceſſitatem poſt horam ſunt perfecturi.

Q. IV. *An prohibeatur potus die jejunii?*

R. Neg. Ita *D. Thomas* 2. 2. *q.* 147. *art.6.ad* 11. dicens: *Jejunium Eccleſiae non ſolvitur, niſi per ea, quae Eccleſia interdicere intendit inſtituendo jejunium. Non autem intendit Eccleſia interdicere abſtinentiam potus, qui magis ſumitur ad alterationem, licet aliquo modo nutriat: & ideo licet pluries jejunantibus bibere*.

Quaenam vero pertineant ad cibum, quaenam ad potum, ex communi uſu fidelium, & peritorum judicio ſunt menſuranda. Certe ad potum pertinet, quod ex natura ſua adhibetur ad vehiculum cibi, & ſitim extinguit.

Dixi, *ex natura ſua*. Non enim dicitur potus quod aſſumitur ad extinguendam ſitim, & ad vehendum alimentum. Hinc non licet ſumere lac, juſculum, & ſimilia; haec enim ſive ſorbeantur, ſive comedantur, non habent rationem potus, ſed cibi, ac principaliter referuntur ad nutriendum. Item non licet ſumere, licet ad ſitim extinguendam, poma, uvas, etiamſi ſolum ſuccum deglutiatur. Idem dic de peponibus, vulgo *melloni d'acqua*; quia haec omnia de ſe pertinent ad cibum, ex quibus infers, falſum eſſe illud axio-

axioma : *Liquida non frangunt jejunium:* quoniam aliqua juxta omnes frangunt jejunium, quia ex se sumuntur ad nutritionem; aliqua non frangunt, quia ex natura sua tendunt ad cibi alterationem, ut potus aquae, vini &c.

Q. V. *An Electuaria frangant jejunium?*

Ante responsionem noto, Electuaria dici ea, quae ex electis rebus, puta saccharo, & junipero, aut cedro conficiuntur, vulgo dicta *Conserve*.

Ad quaesitum R. Neg. modo sumantur per modum medicinae, & juxta mensuram indigentiae, puta ad sublevandam stomachi, vel capitis debilitatem. Ita *D. Thom.* 2. 2. *q.* 147. *art.* 6. *ad* 3. ubi ait: *Electuaria, etiamsi aliquo modo nutriant, non principaliter assumuntur ad nutrimentum, sed ad digestionem ciborum. Unde non solvunt jejunium, sicut nec aliarum medicinarum assumtio; nisi forte aliquis in fraudem electuaria in magna quantitate assumat per modum cibi.* Hanc *S. Thomae* doctrinam communiter sequuntur Theologi.

Iidem docent, non adversari integritati jejunii potum aquae mixtae saccharo, & succo cinnamoni, vel mali cedrini, vulgo dictae *limonata* sive *sorbetto*, ad sitim extinguendam sumtum; dummodo parum horum condimentorum aquae immisceatur, ut scilicet ab illa cruditas auferatur, & stomacho aptetur. Si vero in fraudem

dem jejunii cum parva aqua magna harum rerum quantitas miſceretur, ut cibus potius, quam potus fieret; tunc abſque dubio jejunium frangeretur.

Potiones *Caffè*, *Tè*, & *Salviae* multi non dubitant ad libitum permittere.

Q. VI. *Num Cocolatis jejunium frangat?*

R. Neg. modo ſumatur per modum medicinae, & juxta menſuram indigentiae, ſicut docet *D. Thomas* de electuariis. E. G. Si quis ſtomachi, vel capitis incommodo laborans, ad aliquod onus, officiumque exercendum, cui ex debito obnoxius eſt, viribus deſtitutis reperiatur, cocolatem per modum medicinae ſumere poteſt. Ita *Concina*.

§. III.
De Refectionis Hora.

Q. I. *Quanam hora Refectio ſumi poſſit?*

R. Ex uſu ab Eccleſia recepto eſt circa meridiem, ita ut non liceat ſine juſta cauſſa hanc horam notabiliter (ſpatio ſcilicet duarum horarum) anticipare. Ratio eſt, quia dilatio refectionis plurimum confert ad corporis mortificationem ab Eccleſia intentam. Notabilis autem anticipatio refectionis ſine cauſſa eſt ſaltem peccatum veniale; quia licet determinatio horae refe-

fectionis non ſit de eſſentia jejunii, eſt tamen accidentalis circumſtantia ab Eccleſia praeſcripta.

APPENDIX

De Serotina Collatione ſeu Refectiuncula.

Q. I. *An ſerotina Collatio ſeu Refectiuncula ſit licita?*

R. Affir. Conſtat ex conſuetudine ubique recepta. Quare abſque ſcrupulo illam ſumere licet.

Dixi, *ſerotina*. Quia ſine cauſſa non licet eam ſumere mane, vel circa meridiem, dilatâ ad veſperam caenâ: juſta tamen de cauſſa licet, ut ſi fiat ratione debilitatis, negotiorum, ſtudiorum. Quod ſi juſta cauſſa abſit ordinem iſtum invertendi, erit ſolum veniale; quia non violatur ſubſtantia jejunii.

Q. II. *Quaenam poſſit eſſe quantitas cibi in Refectiuncula ſumendi?*

R. Modica debet eſſe; ita ut octo unciarum pondus ordinarie haud excedat. Ita communiter Recentiores: adde etiam & Timoratorum praxim.

Dixi, *ordinarie*. Nam 1. ut optime notat *Sylvius*, quantitas collationis non poteſt certo definiri: *ſed attendenda eſt cujuſque loci ad quem venitur, conſuetudo, inter bonos communiter obſervata; & ita modice ali-*

aliquid sumendum est, ut caenula non vertatur in caenam, imo nec aequivaleat ei, quod pro jentaculo accipi solet.

Quae quidem quantitas diversa esse debet pro diversitate complexionum, laborum, & regionum, quarum aliae aliis frigidiores sunt, unde fit, ut alii aliis minore cibo indigeant.

2. In Vigilia Nativitatis Domini ex consuetudine permittitur quantitas duplo major. Si vero aliquis meridie anteverteret refectiunculam, non posset excedere octo uncias. Ita communiter.

Quod si Vigilia Nativitatis Domini incidat in sabbato quatuor Temporum, quia festum Nativitatis celebratur die Lunae; adhuc duplicatam refectiunculam sumi posse, docent multi.

Q. III. *An in Collatione serotina non solum cibi quantitas, sed etiam qualitas attendenda sit?*

R. Recentiores docent ex consuetudine jam apud nos recepta, in caenula quantitatem, secus qualitatem attendendam esse. Inter alios testatur *Thomas Milante* in prop. *Alexandri VII. exercit.* 23. Quare licet in caenula comedere cum debito moderamine partem piscis majoris, puta duas, vel tres uncias.

Q. IV. *An in caenula liceat edere ova, & lacticinia, cui haec sunt permissa?*

R. Neg. Nam ex Encyclica *Libentissime,*

ſime, *Benedicti XIV.* declaratum fuit, *diſpenſatos ad edendas carnes, vel ad lacticinia, opus habere eo cibo, eâque potione uti, quibus utuntur omnes jejunantes rectae & meticuloſae conſcientiae*. Ubi advertendum, Tò *jejunantes* intelligi de rigoroſe jejunantibus quadrageſimali jejunio, quo tam carnes, quam ova, & lacticinia vetantur. Interpretatio conſtat ex declaratione Sacrae Poenitentiariae, die 23. Julii An. 1756. quam teſtatur illuſtriſſimus *De Liguoro*. Unde abſolute loquendo collatio ſerotina ſine lacticiniis fit oportet. Quare nec placentae, nec aliae paſtae ex ovis, butyro, aut lacte concretae, licitae ſunt in eadem refectiuncula.

Dixi, *abſolute loquendo*. Nam diſpenſatus ad carnes ob debilitatem virium, minime tenetur ad unicam comeſtionem.

Q. V. *An liceat in caenula ſumere papparium, ſive cibum per coctionem compoſitum ex octo uncis panis mixti cum aqua, ſale, & oleo?*

R. Neg. Quia panis per decoctionem & fermentationem cum aqua, aliam naturam acquirit, & ita panis, & aqua evadit unica major ſubſtantia, aptior ad vires corporis nutriendas & corroborandas. Quod autem communiter admittitur, eſt, ut quis actu quo ſe reficit, infundens panem in aqua, aut vino, ſtatim ori admoveat; quia tunc non intervenit fermentatio,

tio, & liquor ad vehiculum cibi deſervit.

§. IV.

De Cauſſis a Jejunio excuſantibus.

Q. I. *Quaenam ſint cauſſae a jejunio excuſantes?*

R. Praecipuae ſunt duae, *impotentia* ſcilicet, & *labor*.

Ratione impotentiae excuſantur I. adoleſcentes uſque ad annum 21. completum, ut docet *D. Thomas* 2. 2. *q.* 147. *art.* 4. Hi enim indigent majore, & frequentiore cibo tam ad augmentum naturae, quam ad vires ſolidandas. Subdit tamen ibid. Angelicus Praeceptor, *eſſe conveniens, ut etiam in hoc tempore ſe ad jejunandum exerceant plus, vel minus ſecundum modum ſuae aetatis.*

II. Senes *non ratione ſenectutis tantum,* ait *Fagnanus* in *Cap.*Cum ſis, *de Converſatione Conjugatorum, ſed ratione magnae debilitatis.* Idem docet *Navarrus in Manuali, Cap.* 22. *num.* 14. qui tamen concludit, rem arbitrio prudentis, aut ſuperioris relinquendam eſſe; quia ſenes alii aliis citius fiunt ad jejunium impotentes.

III. Infirmi omnes, convaleſcentes, quos infirmitas extenuavit: quod & Doctores extendunt ad eos, qui febri tertiana, vel quartana diuturne laborant. Quando vero dubitatio occurrit, num infirmitas,

& debilitas excuset, nec ne, medicus consulatur, & a superiore dispensatio pro majore securitate petatur.

IV. Praegnantes, & lactantes; nam egent cibo pro se, & pro foetu vel prole, quibus jejunium valde noceret.

V. Pauperes, qui simul habere nequeunt, quod eis ad unam refectionem sufficiat. *Non excusantur*, ait *D. Thomas* loco cit. *art.* 4. *ad* 4. *propter paupertatem a jejuniis Ecclesiae, a quibus tamen excusari videntur illi, qui frustatim eleemosynas mendicant, qui non possunt simul habere, quod eis ad victum sufficiat.*

VI. Qui ex vacuitate stomachi notabili dolore capitis laborant, vel tota nocte calefieri, aut dormire non possunt: hi tamen non excusantur, si huic incommodo occurrere possint sumendo mane collatiunculam, & vespere caenam. Verum in his omnibus distinguenda est impotentia a difficultate jejunandi; nam illa, non haec a jejunio excusat.

Ratione laboris I. excusantur omnes illi, qui exercent artes vere laboriosas, ut sunt fossores, agricolae, lapidicinae, figuli, textores, lanarii, fullones, bajuli, aurigae, nautae remigantes, fabri lignarii, ferrarii, sutores, qui calceos conficiunt, non vero qui coria scindunt: typographi praelum versantes, typos componentes, famuli, qui vehementer tota die

die incumbunt majoribus laboribus, ancillae nentes & fila ducentes, percursantes urbem ad vendendas merces, & alii similes, qui magna brachiorum contentione, ac nimia corporis defatigatione artes suas exercent. Hi enim jejunare non tenentur diebus, quibus laborant, vel quibus ex praecedenti labore sunt nimium defatigati.

II. Excusantur Concionatores, Confessarii, qui adeo laborant, ut viribus inde exhaustis, jejunium ferre nequeant. Si enim labor corporalis sufficiens caussa saepe sit, ut aliquis a jejunio excusetur; quando magis excusabit a jejunio labor mentis susceptus propter aliquid ad salutem aeternam necessarium, vel ad vitam spiritualem ordinatus?

III. Qui exercent artes per se non laboriosas, ut sunt barbitonsores, sartores, pictores. Item notarii, scribae &c. a jejunio non excusantur ratione artis, sed ob peculiarem aliquam circumstantiam, puta ob debilitatem corporis, quae cum jejunii observantia componi non potest. Idem dic de professoribus artium liberalium, qui ad jejunium absolute tenentur; etsi ob peculiarem aliquam circumstantiam excusari possint. Merito igitur *Alexander VII.* sequentem propositionem damnavit: *Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit in-*

 com-

compatibilis cum jejunio.

IV. Non excuſantur ii, qui equo, vel curru iter agunt; niſi forte ob extraordinarium curſum, ac defatigationem non poſſint ſine gravi incommodo jejunare. Quare *Alexander VII.* proſcripſit opinionem illorum, qui aſſerebant equitantes abſolute excuſatos eſſe. *Excuſantur abſolute a praecepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcunque iter agant, etiamſi iter neceſſarium non ſit, & etiamſi iter unius diei conficiant.*

V. Communiter excuſantur a jejunio qui iter pedeſtre agunt; modo ſit neceſſarium, longum, & per integrum diem: ſecus, ſi iter ſit breve. Habenda tamen ratio eſt viae arduae, & lutoſae, quae multum debilitat itinerantem.

Q. II. *An diſpenſatus ab eſu carnium, ſit etiam diſpenſatus ab unica comeſtione?*

R. Cum diſt. Si diſpenſatus ſit, quia ciborum eſurialium uſus eſt illi noxius, ceteroquin eſt perſona robuſta, valens ferre jejunium, dico teneri ad unicam comeſtionem. Secus, ſi diſpenſatus ſit ob debilitatem virium, ut ſunt valetudinarii, qui frequenti cibo indigent, ſimulque carnibus. Ita *Benedictus XIV.* in ſua Bulla *Libentiſſime.*

Idem dic de eo, qui excuſatus ratione laboris, vel aetatis, vel alia juſta cauſſa ab unica refectione, tenetur ad abſtinentiam

tiam carnium. Ratio est, quia haec duo onera, scilicet abstinentia carnium, & unica comestio, sunt dividua. Quare qui non potest servare unum, tenetur ad alterum, si valet.

Q. III. *An dispensatus ad carnes poterit in eadem mensa simul comedere carnes, & pisces?*

R. Neg. Et hoc locum habet non solum in conviviis, verum etiam in mensa privata, ut patet ex Bullis *Benedicti XIV. Non ambigimus*, & *Libentissime*, & per insertam ibi Constitutionem, *Si fraternitas:* ubi Pontifex praecipit medicis, ne dent facultatem vescendi carnibus tempore vetito, nisi geminis adjectis conditionibus, scilicet unicae in die comestionis, & non permiscendarum epularum, nempe carnium, & piscium. Haec permixtio intelligitur vetita non solum in Quadragesima, verum etiam in jejuniis extra Quadragesimam. Ab hac tamen lege excipiuntur tantum qui gaudent Bulla *Cruciatae*. Porro dispensatus ad ova, potest comedere pisces, ex eodem Pontifice.

Q. IV. *Quinam possint dispensare in lege jejunii?*

R. 1. Summus Pontifex in universa Ecclesia. 2. Episcopus cum suis subditis. 3. Parochi saltem ex consuetudine. 4. Superiores Regularium cum suis subditis dispensare valent.

Confeſſarii poteſtatem non habeat diſpenſandi ſuos poenitentes , ſed ſolum declarare valent , in tali caſu legem jejunii non obligare . Medici pariter diſpenſare non poſſunt, ſed ſolum judicium proferre, quod jejunium eo caſu notabile nocumentum afferat, niſi ſolvatur.

Demum advertendum, ſi cauſſa excuſans a jejunio ſit evidens , diſpenſationem non requiri: ſi vero ſit dubia, ſuperiorem adeundum pro diſpenſatione.

ELENCHUS

Capitum, Sectionum, Paragraphorum, Quaestionum, & Propositionum, quae in hoc altero Tomo continentur.

Tractatus de Quatuor Virtutibus Cardinalibus.

Cap.I. DE *Virtute in communi.* Pag.3
§. I. *De Virtutis Natura, ac Divisione.* 6
Prop. I. *Vera Virtus ex Augustino est ordo amoris, sive ordinata caritas, qua homo* fruitur *Deo, &* utitur *creaturis.* ibid.
Prop. II. *Etsi natura verae virtutis in ordinata caritate consistat; virtus tamen non unica est, sed multiplex pro objectorum diversitate, quibus diversimode se exserit.* 8
Prop. III. *Virtus Moralis, quam etiam Civilem appellant, Fide & Caritate destituta, non est vera & simpliciter virtus.* 9
Q. I. *An isthaec in ultimum finem relatio habeatur implicite in ipsa honestate ope-*

peris? Puta si quis nudum vestiat, debitum reddat, cum rectae rationi sit consonum: Nonne hujusmodi actiones in Deum diriguntur ex ipsa natura operis honesti, quin alia relatio ipsius voluntatis requiratur? 11

Q. II. *Ut actio sit bona ex objecto & fine ultimo, num requiratur caritas habitualis, an sufficiat actualis?* 12

Prop. IV. *Morales sive civiles sine vera Religione virtutes, etsi defectu ultimi finis perfectae non sint; vitia tamen, rigorose loquendo, dicendae non sunt, si operum honestatem inspicias.* ibid.

§. II. *De Virtutum Proprietatibus.* 16

Q. I. *Utrum inseparabili vinculo inter se sint connexae virtutes, ut qui unam habuerit, habeat & omnes?* ibid.

Q. II. *Utrum virtus in mediocritate consistat?* 18

Q. III. *Undenam virtus suam desumat perfectionem?* 19

Cap. II. *De Prudentia.* 21

Q. I. *Quid sit Prudentia?* ibid.

Q. II. *Quotuplex sit Prudentiae species?* 23

Q. III. *Quaenam sint officia Prudentiae?* ibid.

Q. IV. *Quaenam sint partes Prudentiae integrantes?* ibid.

Q. V. *In quibus reperiatur Prudentia?* 25

Q. VI. *Quaenam sint vitia Prudentiae opposita?* 26

Cap.

Cap. III. *De Justitia.* 27
Cap. IV. *De Temperantia.* 30
Q. I. *Quid sit Temperantia?* ibid.
Q. II. *Quaenam sint Temperantiae species?* 32
Q. III. *Quaenam sint virtutes Temperantiae adnexae?* 33
Cap. V. *De Fortitudine.* 37
Q. I. *Quid sit Fortitudo?* ibid.
Q. II. *Quaenam sint virtutes Fortitudini adjunctae?* 38

Tractatus de Virtute Religionis.

Cap. I. *De Religionis Natura.* 40
Q. I. *Quid sit Religio?* ibid.
Q. II. *Quomodo Deus coli debeat?* 41
Auctarium *De Religione, quam vocant Naturalem, sive de Officiis hominis erga Deum a naturali lege praescriptis.* 42
Q. I. *An recta Ratio dictet Deum esse colendum?* 44
Q. II. *Quinam a recta ratione praescribatur cultus erga Deum?* ibid.
Q. III. *Quinam sit Legis naturalis usus?* 45
Cap. II. *De Internis Religionis Actibus.* 48
§. I. *De Devotione.* ibid.
Q. I. *Quid sit Devotio?* ibid.
Q. II. *Quaenam sit Devotionis caussa?* 49
§. II. *De Oratione?* ibid.

Q. *Quid ſit Oratio?* ibid.
§. III. *De Orationis Diviſione?* 50
Q. I. *Quotuplex ſit Oratio?* ibid.
Q. II. *Quotuplex ſit Oratio vocalis?* ibid.
§. IV. *De Orationis neceſſitate, de iiſque pro quibus eſt orandum.* 51
Q. I. *An Oratio ſit neceſſaria ad ſalutem?* ibid.
Q. II. *Quo tempore hoc divinum orandi mandatum obliget?* 52
Q. III. *Quaenam a Deo peti debeant?* 53
Q. IV. *Pro quibus ſit orandum?* 55
§. V. *De conditionibus requiſitis, ut Oratio ſit efficax.* ibid.
Q. I. *Quaenam conditiones requirantur, ut Oratio obtineat quod petit?* 57
Q. II. *Utrum peccatores a Deo exaudiantur?* 60
Cap III. *De Horis Canonicis.* 61
Q. *Quid ſint Horae Canonicae?* ibid.
§. I. *De Recitantium Canonicas Horas obligatione.* 63
Q. I. *Undenam obligatio oriatur Canonicas Horas recitandi?* ibid.
Q. II. *An ad Officium teneatur qui habet Beneficium ita tenue, ut ejus annui reditus non adaequent ſummam tituli eccleſiaſtici, dioeceſana lege requiſitam?* 66
Q. III. *Num qui congruum habet Beneficium, ſed illius fructus non percipit, teneatur perſolvere Horarum Canonicarum penſum?* 67
§.II.

§. II. *De Forma, seu ritu, quo recitandum sit Officium?* 69
Q. *Quod Officium sit recitandum?* ibid.
§. III. *De Tempore, quo recitandae sint Horae Canonicae.* 71
Q. I. *Quânam diei horâ incipiat obligatio divinum Officium recitandi.* ibid.
Q. II. *Num qui pridie recitat Matutinum, possit, eo expleto, Officium Defunctorum, Litanias Rogationum recitare?* 72
§. IV. *De Continuatione, & ordine, quo recitari debeat Officium.* 73
Q. I. *Num divini Officii recitatio debeat esse continua?* ibid.
Q. II. *Quonam ordine Horae sint recitandae?* ibid.
Q. III. *Num peccet mortaliter qui Missam celebrat, Matutino non recitato?* 74
§. V. *De Integritate, qua divinum persolvi debeat Officium.* ibid.
Q. I. *Num peccet mortaliter qui non totum, sed partem Officii omittat?* ibid.
Q. II. *Quaenam pars divini Officii dicenda sit notabilis, ob cujus omissionem graviter peccatur?* ibid.
§. VI. *De Pronunciatione seu voce, qua Horae Canonicae persolvendae sunt.* 76
Q. I. *Quaenam requiratur pronunciatio in precum Canonicarum recitatione?* ibid.
Q. II. *An pronunciatio isthaec debeat esse tam clara, ut Officium recitans, se*

ipsum audire queat, si nihil obstet? ibid.
§. VII. *De necessaria Intentione, Attentione, ac Devotione Horas canonicas recitandi.* 78
§. VIII. *De Intentione.* 79
Q. I. *Utrum necessaria sit aliqua Intentio in Horarum recitatione?* ibid.
Q. II. *Num qui attente ac devote divinum Officium recitat, cum animo expresso non satisfaciendi praecepto, sed cum voluntate illud postea repetendi, teneatur Officium iterum dicere?* 80
§. IX. *Utrum in recitatione precum canonicarum requiratur attentio, & qualis.* ibid.
§. X. *De Devotione.* 84
Q. I. *An Officii penso vere satisfaciant qui inter recitandum actionibus exterioribus se occupant?* 85
Q. II. *Quinam corporis situs servandus in divini Officii recitatione?* ibid.
Q. III. *Quo in loco laudes divinae persolvi debeant?* 86
Q. IV. *An qui exsistens in peccato mortali, recitat Horas Canonicas, satisfaciat praecepto Ecclesiae?* ibid.
§. XI. *De Caussis excusantibus a recitatione Horarum Canonicarum.* 87
Q. *Quaenam sint caussae excusantes a recitatione Horarum?* ibid.
§. XII. *De non recitantium Horas restitutione.* 92

Q. I. *Qui titulo Beneficii Horas Canonicas persolvere adstringitur, si eas omiserit, ad quid tenetur?* ibid.

Q. II. *Num Beneficiarius, qui omisit Officium, sed alia Beneficii munia implevit, puta Parochus, qui sacramenta ministravit, aegros invisit &c. teneatur pro rata restituere omnes fructus Beneficii, an possit sibi retinere partem, aliis ministeriis respondentem?* 94

Q. III. *Unde, & cui facienda sit praefata restitutio?* 95

Q. IV. *Num fructuum restitutio suppleri possit per eleemosynas quascunque, factas a Beneficiario, antequam preces Canonicas omittat?* 96

Q. V. *An Beneficiarius ad restituendum teneatur ante judicis sententiam?* ibid.

§. I. *De Officii recitatione in Choro.* 97

Q. I. *Utrum Canonici, seu Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum Praebendati ad recitandum Officium in Choro teneantur?* ibid.

Q. II. *An peccet graviter Canonicus, qui absque legitima caussa a Choro abest?* ibid.

Q. III. *An satisfaciant Choro, & lucrentur distributiones Canonici, qui tantum assistunt, & non canunt?* 99

Q. IV. *Quibus poenis obnoxii sint Canonici seu Praebendati, qui absque legitima caussa Choro absunt?* 100

Q. V. *Quid sint quotidianae distributiones, & qui-*

& quibus debeantur? 101

Q. VI. *Quibus de caussis a Choro absens quotidianas distributiones lucrari possit?* 102

Tractatus de Voto, & Juramento.

Cap. I. *De Voto.* 107

§. I. *De Voti Natura, & Divisione.* ibid.

Q. I. *Quid sit Votum?* ibid.

Q. II. *Quotuplex sit Votum?* 108

§. II. *De Voti Validitate.* 109

Q. I. *Quaenam requirantur, ut Votum sit validum?* ibid.

Q. II. *An opus aliunde praeceptum possit esse materia Voti?* 111

Q. III. *An validum sit Votum ejus, qui vovit Deo rem bonam, sed ob malum finem; puta si quis voveat eleemosynam ob vanam gloriam?* ibid.

Q. IV. *An validum sit Votum vitandi omnia peccata venialia?* ibid.

Q. V. *An validum sit Votum de non vovendo?* 112

Q. VI. *Num valeat Votum de non vovendo, nisi ex consilio Confessarii?* ibid.

Q. VII. *Quid si postea hic voveat, non petito Confessarii consilio, num peccet contra primum votum, an adstringatur servare secundum?* ibid.

§. III. *De Voti Obligatione.* 113

Q. I. *An Votum validum obligationem indu-*

ducat, ut vovens teneatur exſequi quod promiſit? ibid.

Q. II. *Ex qua virtute hujuſmodi obligatio oriatur?* ibid.

Q. III. *An opus ex lege voti factum, ſit majoris meriti opere facto ſine voto?* ibid.

Q. IV. *An Vota per alios impleri poſſint?* ibid.

Q. V. *An heres teneatur ſolvere realia Vota teſtatoris?* 114

Q. VI. *Ad quid teneatur, qui factum alienum vovit?* ibid.

Q. VII. *Quo tempore implendum ſit Votum?* 115

Q. VIII. *An Votum non impletum tempore deſignato deſinat obligare?* ibid.

Q. IX. *Num qui dubitat de Voto, teneatur illud implere?* ibid.

§. IV. *De Voti Deobligatione.* 116

Q. I. *Num Votum validum deſinat aliquando obligare?* ibid.

Q. II. *Quando Votum ceſſet per ſeipſum?* ibid.

Q. III. *Quomodo Votum tollatur ab alio?* 117

§. V. *De Voti Irritatione.* ibid.

Q. I. *Quid ſit Irritatio Voti?* ibid.

Q. II. *Quotuplex ſit Irritatio Voti?* 118

Q. III. *Quaenam Vota irritari poſſint?* ibid.

Q. IV. *Quinam poſſint irritare Vota directe?* ibid.

Q. V. *Quinam possint irritare Vota indirecte?* 119
Q. VI. *An valida sit Irritatio Voti facta sine caussa?* 121
§. VI. *De Voti Dispensatione.* ibid.
Q. I. *Quid sit Voti Dispensatio?* ibid.
Q. II. *Quinam possint dispensare a Votis?* ibid.
Q. III. *Quaenam sint vota Papae reservata?* 122
Q. IV. *Num valeant Episcopi aliquando in votis reservatis dispensare?* ibid.
Q. V. *An haec votorum reservatio late, an stricte interpretanda sit?* ibid.
§. VII. *De Voti Commutatione.* 124
Q. I. *Quid sit Voti Commutatio?* ibid.
Q. II. *Num differat commutatio ab irritatione, & dispensatione Voti?* ibid.
Q. III. *Quinam valeant vota commutare?* ibid.
Cap. II. *De Juramento.* 125
Q. I. *Quid sit Juramentum?* ibid.
Q. II. *Quaenam requirantur ad Juramenti emissionem?* 126
Q. III. *Quid sit Adjuratio?* ibid.
Q. IV. *An liceat jurare sine animo jurandi?* 127
Q. V. *An qui serio & deliberate Deum invocat in confirmationem veritatis, ore scilicet dicens*, per Deum ita est; *interius vero & in corde*, nolo jurare, *verum proferat Juramentum?* 128

Q. VI. *Quaenam ſint jurandi formulae?* ibid.
Q. VII. *Quomodo dividatur Juramentum?* 129
Q. VIII. *Num recenſitae Juramenti diviſiones ſint ejuſdem, an diverſae ſpeciei?* 131
Q. IX. *An Juramentum ſit licitum?* ibid.
Q. X. *Quî ergo Chriſtus* Matth. V. *abſolute juramentum prohibeat his verbis:* Ego autem dico vobis non jurare omnino? ibid.
Q. XI. *Quaenam conditiones requirantur ad licite jurandum?* 132
Q. XII. *Num Juramentum ſit ſemper illicitum, quando in eo deficiat una ex recenſitis conditionibus?* ibid.
Q. XIII. *Num ſit ſemper grave peccatum?* ibid.
Q. XIV. *An liceat exigere Juramentum ab eo, qui praevidetur pejeraturus?* 136
Q. XV. *An liceat Chriſtiano petere Juramentum, juſta currente cauſſa, ab eo, quem ſcit juraturum per falſos Deos?* ibid.
Q. XVI. *Quandonam non obliget Juramentum promiſſorium?* 137
Q. XVII. *Quomodo ceſſet obligatio Juramenti promiſſorii?* 139
Appendix *De Mendacio.* ibid.
Q. I. *Quid ſit Mendacium?* ibid.
Q. II. *Quotuplex ſit Mendacium?* 140

Q. III. *An Mendacium ſit peccatum?* 141
Q. IV. *An omne Mendacium ſit peccatum mortale?* ibid.
Q. V. *Num urgente neceſſitate evitandi aliquod graviſſimum malum, ut hominum mortem, Mendacium ſit licitum?* 142
Propoſitio. *Ajo cum Auguſtino, Mendacium eſſe ſuapte natura malum, ideoque omnino illicitum.* 144
Q. VI. *Quenam ſint media, quibus veritas in magni momenti rebus occultetur, ſi urgeat juſtitia, religio, aut caritas?* 148
Q. VII. *Quaenam ſint Recentiorum ſubterfugia, ut veritas abſque mendacio occultetur?* ibid.

Tractatus de Obſervantia Feſtorum. 154

Cap. I. *De Ceſſatione ab opere ſervili.* 158
§. I. *De Opere ſervili vitioſo, ſeu de peccato diebus feſtis perpetrato.* 159
Prop. unica. *Cum venerabili antiquitate dico adeſſe ſpeciale praeceptum, prohibens peccatum die feſto; ita ut vi hujus praecepti peccata mortalia externa, praeſertim ebrietates, rixae, fornicationes, & cetera hujuſcemodi, novam ſpeciem malitiae mortalis contra Religionem induant, neceſſario in Confeſſio-*

ſione manifeſtandam. 159

§. II. *De Opere ſervili mechanico.* 163

Prop. I. *Graviter peccat qui die feſto ſive pretii, ſive recreationis gratiâ opus ſervile exercet; niſi rationabilis cauſſa, aut legitima conſuetudo excuſet.* 164

Q. I. *An liceat pingere die feſto?* 165

Q. II. *Utrum venari, aucupari, piſcari ex genere ſuo ſint opera ſervilia; ideoque jure communi diebus feſtis prohibita?* 166

Q. III. *Num ſit licitum feſtis diebus iter facere pedibus, equo, navi, curru, lecticâ ab hominibus delata?* ibid.

Prop. II. *Opera liberalia, vel communia feſtis diebus prohibita non ſunt.* 167

Q. IV. *An choreae, ludi ſcenici, idque genus ſimilia, ſint die feſto Chriſtianis vetita?* 168

§. III. *De Opere ſervili religioſo.* 170

Prop. *Opera corporalia, quae proxime ad divinum cultum excitant, die feſto ſunt licita: quae vero remote, non debent abſque rationabili cauſſa in diem feſtum differri: illa tandem, quae ſolum ex intentione operantis in utilitatem templi cedunt, ſunt omnino ſervilia, & prohibita.* 171

§. IV. *De Mercatu diebus feſtis vetito.* 173

Prop. *Nundinae ſive univerſales & annuae, ſive particulares & hebdomadariae, ſive actus mercandi diebus feſtis* com-

communi jure prohibentur: attamen in hac re consuetudo locorum attendenda est. ibid.
§. V. *De Judicio forensi diebus festis vetito.* 175
Prop. *Strepitus omnis judicialis die festo prohibetur, ita ut actus judiciales eo die habiti, non solum sint illiciti, verum etiam invalidi; nisi tamen necessitas urgeat, vel pietas aliter suadeat.* ibid.
§. VI. *De Caussis excusantibus ab observatione praecepti festis diebus opera servilia prohibentis.* 177
Q. I. *Quaenam caussae excusent ab obligatione omittendi opera diebus festis prohibita?* 178
Q. II. *An in praecepto opera servilia diebus festis vetante, detur parvitas materiae?* 180
Q. III. *Quaenam temporis pars in hac transgressione parvitas materiae censeatur?* ibid.
Q. IV. *Quinam dispensare valeant ad laborandum die festo?* 181
Cap. II. *De Obligatione die festo Missam audiendi.* 182
§. I. *De Natura, & obligatione praecepti Missam die festo audiendi, & quas personas comprehendat.* 183
Q. I. *Num sit in Ecclesia praeceptum fidelibus impositum Missam die festo audien-*

diendi? ibid.
Q. II. *Quinam obligentur ad Missam audiendam?* ibid.
Q. III. *Ut fiat satis praecepto Ecclesiae, quonam ritu, qua hora, a quonam Sacerdote, & quo in loco Missa audienda sit?* 184
§. II. *De Praesentia ad Missam audiendam.* 187
Q. *Quae, & qualis praesentia requiratur ad Missae auditionem?* ibid.
§. III. *De Attentione, & Devotione in Missa audienda.* 188
Q. I. *Ut quis satisfaciat praecepto audiendi Missam die festo, num requiratur, ut attente, ac devote Missam audiat?* ibid.
Q. II. *An novum committat peccatum qui Missae interest in statu peccati mortalis, quique actuali affectu peccatum amat?* 189
§. IV. *De Missae audiendae Integritate.* 190
Q. I. *Num die festo integra Missa sit audienda?* ibid.
Q. II. *Quaenam pars Missae censeatur notabilis, ita ut ejus omissione praeceptum non impleatur?* ibid.
Q. III. *An satis fiat praecepto, audiendo duas partes Missae a duobus simul Celebrantibus?* 191
§. V. *De Caussis excusantibus a Missae audi-*

ditione. 192
Q. I. *Num sint caussae, quae ab audiendo sacro Christianos excusant?* ibid.
Q. II. *An qui legitimâ caussâ impeditus Missam omittit, teneatur, si possit, alias preces Deo offerre?* ibid.
Q. III. *Num haec omissio mortalis sit, an venialis?* ibid.
§. VI. *De aliis piis operibus, quibus Christiani festis diebus vacare debent.* 193
Q. *An Christiani festis diebus praeter Missae auditionem, ad alia pia opera teneantur?* ibid.

Tractatus de Vitiis Religioni oppositis.

Cap. I. *De Superstitione.* 194
Q. I. *Quid sit Superstitio?* ibid.
§. I. *De Superstitione ex parte objecti.* 195
Q. I. *Quot sint species superstitionis ex parte objecti?* ibid.
Q. II. *Quomodo tollatur Maleficium?* 200
§. II. *De Superstitione ex parte Indebiti Cultus.* 201
Q. *Quid sit Indebitus Cultus?* ibid.
Cap. II. *De Irreligiositate.* 202
Q. *Quid sit Irreligiositas?* ibid.
§. I. *De Blasphemia.* ibid.
Q. I. *Quid sit Blasphemia?* ibid.
Q. II. *Quotuplex sit Blasphemia?* 203
Q. III. *Quale peccatum sit Blasphemia?* 204
Q. IV. *Num peccet mortaliter, qui inadver-*

vertenter blasphemat? ibid.
Q. V. *Num specie differat blasphemia in Deum ab ea, quae est in Sanctos?* 205
§. II. *De Tentatione Dei, & Sacrilegio.* ibid.
Q. I. *Quid sit Tentatio Dei?* ibid.
Q. II. *Quid, & quotuplex sit Sacrilegium?* 206
Q. III. *Quale peccatum sit Sacrilegium?* 207

Tractatus de Beneficiis Ecclesiasticis. 209

Cap. I. *De Beneficii Natura, & Divisione.* ibid.
Q. I. *Quid sit Beneficium Ecclesiasticum?* ibid.
Q. II. *Quotuplex sit Beneficium Ecclesiasticum?* 210
Cap. II. *De Variis Modis seu titulis Beneficium acquirendi.* 213
§. I. *De Praesentatione, & consequente Institutione.* ibid.
Q. I. *Quid sit Praesentatio?* ibid.
Q. II. *Quid, & quotuplex sit Jus Patronatus?* ibid.
Q. III. *Quid commune habeant beneficia tum ecclesiastici, tum laici patronatus?* 214
Q. IV. *Quid singulare habeant beneficia patronatus utriusque?* 215
Q. V. *Quomodo acquiratur Jus Patronatus?* 216
Q. VI. *Quomodo Jus Patronatus transfera-*

ratur? 219

Q. VII. *Quibus conferenda sint Beneficia?* 222

Q. VIII. *Num Beneficiarii sint pleni & absoluti domini fructuum, qui eorum honestae sustentationi supersunt?* ibid.

Q. IX. *Num Clerici sufficienti patrimonio donati, possint beneficiariis uti proventibus ad congruam sustentationem illaesâ conscientiâ?* 230

Tractatus de Simonia. 233

Cap. I. *De Simoniae Natura, Malitia, & Divisione.* 234

Q. I. *Quid sit Simonia?* ibid.

Q. II. *Quale peccatum sit Simonia?* 235

Q. III. *Quotuplex sit Simonia?* 236

Q. IV. *Quot committatur modis Confidentia?* 238

Q. V. *Quibus casibus committatur Simonia juris humani?* 239

Cap. II. *De Modis, quibus committitur Simonia.* 240

§. I. *De Modis, quibus committitur Simonia spiritualibus adnexa.* ibid.

Q. *Num liceat emere vel vendere temporale spirituali adnexum?* ibid.

§. II. *De Simonia circa Sacramentorum administrationem, celebrationem Missae, aliasque functiones.* 242

Q. I. *Num sit Simonia aliquid accipere in administratione Sacramentorum, Missa-*

sarum celebratione, aliisque sacris functionibus? ibid.

Q. II. *Num Simonia mentalis sit Missam celebrare, Horis canonicis interesse, Sacra ministrare &c. principaliter mercedis temporalis intuitu?* 243

Q. III. *Num Simonia sit, extremâ necessitate urgente, dare pecuniam ministro nolenti gratis Sacramentum conferre?* 244

Q. IV. *Num sit Simonia docere Theologiam, vel sacram Scripturam in scholis, pactis stipendiis?* ibid.

Q. V. *An sit Simonia vendere, aut emere actus jurisdictionis potestatis ecclesiasticae?* 245

Q. VI. *Utrum pro spiritualis actus omissione licitum sit aliquod accipere temporale absque Simonia?* ibid.

Q. VII. *Num Simonia sit vendere sepulturam?* 246

§. III. *De Simonia in ingressu Religionis.* 247

Q. I. *Num Simonia sit aliquid tanquam pretium dare vel accipere pro ingressu Religionis, sive pro sacri habitus susceptione, vel Monastica Professione?* ibid.

Q. II. *An liceat aliquid exigere ab ingredientibus Monasteria titulo sustentationis?* ibid.

§. IV. *De Simonia in collatione Ecclesiasti-*

ſtici Beneficii . 249

Q. I. *An ſit ſimoniacum emere vel vendere eccleſiaſticum beneficium ?* ibid.

Q. II. *An pecuniae acceptio pro beneficii collatione ſit contra juſtitiam ?* 251

§. V. *De Simonia circa permutationes, & reſignationes Beneficiorum* . 252

Q. I. *An ſit Simonia permutare res ſpirituales pro aliis ſpiritualibus ?* ibid.

Q. II. *An beneficia permutari poſſint abſque Simonia ?* ibid.

Q. III. *Quandonam committatur Simonia in beneficii reſignatione ?* 253

Q. IV. *An in materia beneficiali licita ſit tranſactio, propria auctoritate ?* 254

Q. V. *An ſit ſimoniacum, penſionem emere, vel redimere ?* ibid.

Q. VI. *An liceat emere, vel vendere jus patronatus ?* 256

Q. VII. *An, & quomodo liceat redimere vexationem in beneficiis ?* ibid.

Cap. III. *De Poenis in Simoniacos latis* . 259

Q. I. *Quaenam ſint poenae contra ſimoniacos latae ?* ibid.

Q. II. *An omnes Simoniae ſpecies canonicis poenis obnoxiae ſint ?* ibid.

Q. III. *Quibus in caſibus incurrantur poenae latae contra ſimoniacos ?* 260

§. I. *De Simoniae poenis ob ingreſsum in Religionem contractis* . ibid.

Q. *Quot ſint poenae Simoniae latae pro in-*

ingressu Religionis? ibid.
§. II. *De Simoniae Poenis in Ordinatione commissae.* ibid.
Q. *Quot sint poenae Simoniae in ordinatione commissae?* ibid.
§. III. *De Poenis Simoniae in Beneficiis commissae.* 261
Q. I. *Quot sint Simoniae poenae in beneficiis commissae?* ibid.
Q. II. *Quaenam sint poenae Simoniae Confidentiae?* 262
Q. III. *Num si commissa sit Simonia a tertia persona, inscio promoto ad beneficium, obnoxius is sit Simoniae poenis?* 263
Q. IV. *An pretium per Simoniam acceptum, restitui debeat, & cui?* 264
Q. V. *Quinam a poenis contra Simoniacos latis absolvere, & dispensare valeat?* 265

Tractatus de Censuris, & Irregularitatibus. 267

Cap. I. *De Censuris in Communi.* ibid.
§. I. *Quid, & quotuplex sit Censura?* ibid.
Q. I. *Quid sit Censura?* ibid.
Q. II. *Quotuplex sit Censura?* 269
Q. III. *An omnis Censura injusta, sit etiam nulla?* 272
§. II. *De Censurarum Latore, & Subjecto.* 273

Prop. I. *Omnis, & solus superior ecclesiasticus habens in foro externo jurisdictionem ordinariam, vel delegatam, potest ferre Censuras?* 274
Q. *Quinam a Censuris absolvere valeat?* 276
Prop. II. *Censurae subjectum est quilibet homo viator, qui fuerit baptismate initiatus, subditus, ac doli capax.* 277
§. III. *De Materia, forma, & effectibus Censurarum.* 279
Prop. I. *Materia Censurae saltem totalis est peccatum grave, externum contra praeceptum Ecclesiae contumaciter admissum.* ibid.
Q. *Num pro ferenda Censura requiratur culpa & contumacia propria, an sufficiat aliena?* 282
Prop. II. *Forma Censurarum sunt ritus seu conditiones, quas jura, & consuetudo praescripsere.* 283
Q. I. *An recensitae conditiones omnes sint necessariae ad valorem Censurae?* ibid.
Q. II. *Quaenam forma in absolutione a Censuris servanda?* 285
Q. III. *Quinam sint Censurarum effectus?* ibid.
§. IV. *De Caussis a Censura incurrenda excusantibus.* 286
Q. I. *An ignorantia excuset a Censura contrahenda?* ibid.
Q. II. *An metus gravis cadens in virum constantem excuset a Censura?* 289

Q. III. *Quomodo se gerere debeat, qui dubius est, an sit Censura irretitus?* 291
Cap. II. *De Excommunicatione.* 292
§. I. *De Excommunicato vitando, ac de Excommunicatione Minori.* 293
Q. I. *An sine ulla necessitate, vel absque speciali utilitate peccent fideles petentes, ut excommunicatus toleratus celebret, sibi administret Sacramenta, & secum recitet divina Officia?* 294
Q. II. *Sub qua culpa, & poena prohibita sit fidelibus communicatio cum excommunicato vitando?* 295
Q. III. *An aliquando liceat fidelibus communicare cum excommunicato vitando?* 296
§. II. *De Excommunicatione Minori, ejusque effectibus.* 298
Q. *Quid sit Excommunicatio Minor, & quinam illius effectus?* ibid.
§. III. *De Effectibus Excommunicationis Majoris.* 299
§. IV. *De Privatione Suffragiorum.* 300
Prop. I. *Excommunicatus privatur communibus Ecclesiae suffragiis.* ibid.
Q. I. *An excommunicatus contritus, & in gratia constitutus, particeps fiat communium Ecclesiae suffragiorum?* 301
Q. II. *An pro excommunicatis toleratis liceat Ecclesiae suffragia offerre?* ibid.
Prop. II. *Nullus excommunicatus etiam vi-*

vitandus excluditur a privatis fidelium orationibus, quae non fiunt nomine Ecclesiae. ibid.

§. V. *De Privatione usus Sacramentorum.* 302

Prop. I. *Excommunicatus etiam toleratus, etiam occultus, absolute loquendo illicite recipit quodvis Sacramentum.* ibid.

Prop. II. *Extra necessitatis casum nullus excommunicatus sive vitandus, sive toleratus aliquod sacramentum licite administrare potest.* 305

§. VI. *De divinorum Officiorum assistentia.* 307

Prop. *Excommunicatus quilibet vi censurae privatur munere celebrandi divina Officia, & iisdem assistendi.* ibid.

Q. I. *An peccet excommunicatus non audiendo Sacrum die festo?* 308

Q. II. *An, & quomodo teneatur excommunicatus Horas canonicas recitare?* ibid.

Q. III. *An in aliquam incurrat poenam excommunicatus, qui Missae sacrificio, aliisque divinis Officiis interest?* 309

§. VII. *De Inhabilitate ad beneficia ecclesiastica.* 310

Prop. *Ligati excommunicatione majori inhabiles sunt ad beneficia ecclesiastica.* ibid.

Q. I. *An sit nulla collatio facta ei, qui invincibiliter ignorat, se vel esse excom-*

communicatum , vel ab excommunicatione non fuisse absolutum ? 312

Q. II. *An qui est excommunicatus post beneficium obtentum , privetur fructibus ejus beneficii ante judicis sententiam ?* ibid.

§. VIII. *De Privatione Jurisdictionis.* 313

Prop. *Excommunicati omnes illicite faciunt quae sunt jurisdictionis ; valide tamen , si tolerati sint ; secus , si sint denunciati .* ibid.

§. IX. *De Privatione communicationis forensis , & civilis .* 316

Q. *Quinam sint casus , in quibus non licet fidelibus cum excommunicato vitando communicare ?* 318

§. X. *De Privatione ecclesiasticae sepulturae .* 319

Prop. *Excommunicati vitandi ecclesiastica sepultura post mortem privantur .* ibid.

Q. *Quinam sint effectus per accidens excommunicationis ?* 320

§. XI. *De Excommunicatione ob percussionem Clerici .* 321

Q. I. *Quosnam comprehendat vocula illa* si quis ? ibid.

Q. II. *Quis nomine* Clerici , *vel* Monachi *intelligatur ?* 323

Q. III. *Quid significetur per* manus violentas ? 324

Q. IV. *Quaenam caussae excusent injicientes manus violentas in Clericum ab* in-

incurrenda excommunicatione? 325

Q. V. *Quis possit ab hac excommunicatione absolvere?* 327

§. XII. *De Excommunicatione, quae contrahitur ex monitorio in finem revelationis.* 330

Q. I. *Quinam monitionem in finem revelationis concedere possit?* ibid.

Q. II. *Quinam teneantur revelare?* 331

Q. III. *Quinam facto monitorio excusentur a revelando?* ibid.

Q. IV. *Qui facti in monitorio contenti notitiam habet, tenetur ne statim post primam monitionem revelare?* 333

Q. V. *An obligatus revelare ex monitorio, si non revelet, teneatur tertio damnum restituere?* 334

Cap. III. *De Suspensione.* 335

§. I. *Quid, & quotuplex sit Suspensio?* ibid.

Prop. *Suspensio est censura, per quam Clericus privatur usu officii, aut beneficii, aut utriusque simul.* ibid.

Q. *Quotuplex sit Suspensio?* 336

§. II. *De Effectibus Suspensionis.* 338

Q. *Quaenam regula assignetur ab Auctoribus, ut qualis, & quanta sit Suspensio cognoscatur?* ibid.

§. III. *De Suspensione a beneficio.* 342

Q. I. *An suspensus a beneficio, sit inhabilis ad aliud beneficium suscipiendum?* 343

Q. II. *Quinam sint effectus* per accidens *Sus-*

Suspensionis ? 344
Q. III. *An peccet qui a suspenso petit exercitum illius officii, a quo est suspensus ?* 346
Q. IV. *Ob quam culpam ferri Suspensio possit ?* ibid.
§. IV. *De Suspensionis Absolutione.* 347
Q. I. *Quinam absolvere a Suspensione possit ?* ibid.
Q. II. *Suspensio semel incursa quomodo tollatur ?* 348
§. V. *De Suspensionibus Juris in particulari, ubi de frequentibus contra Clericos.* 349
Q. I. *Quaenam sint Suspensiones juris frequentiores contra Clericos ?* ibid.
Q. II. *An mere suspensus ab Ordine quem habet, incurrat irregularitatem suscipiendo Ordinem superiorem ?* 353
Q. III. *An Clericus, qui in ipsa Ordinatione suspenditur, eam indebite suscipiendo, irregularitatem incurrat, si in ipsa Ordinationis Missa solemniter ministret, puta canendo evangelium, vel epistolam ?* 354
Appendix *De Depositione, & Degradatione.* ibid.
Q. I. *Quomodo definiatur Depositio ?* ibid.
Q. II. *Quid sit Degradatio?* 355
Cap. IV. *De Interdicto.* 357
§. I. *De Natura, & divisione Interdicti.* ibid.

§. II. *De Effectibus Interdicti*. 364
Q. I. *An, & quatenus Interdictum divinis privet officiis?* ibid.
Q. II. *Quibus Sacramentis privet Interdictum?* 366
Q. III. *Quibus prohibeatur tempore Interdicti ecclesiastica sepultura?* 368
Q. IV. *Quid intelligatur per Interdictum* ab ingressu Ecclesiae? 369
Q. V. *Quaenam sint poenae violantium Interdictum?* 370
§. III. *De Latore, Caussa, Suspensione, & Absolutione Interdicti*. 372
Q. I. *Quinam ferre Interdictum valeat?* ibid.
Q. II. *Quam ob caussam ferri Interdictum possit?* ibid.
Q. III. *Quinam suspendere Interdictum valeat?* 373
Q. IV. *Quis ab Interdicto absolvere valeat?* ibid.
Appendix *De Cessatione a divinis*. 375
Cap. V. *De Irregularitatibus*. 376
§. I. *De Exsistentia, Natura, & Divisione Irregularitatis*. ibid.
Prop. I. *Irregularitas est impedimentum canonicum Ordines suscipiendi, & susceptos exercendi, a solo jure proveniens*. ibid.
Prop. II. *Nulla exsistit Irregularitas, nisi in universali pontificio jure sit expressa*. 377
Prop. III. *Si de aliqua Irregularitate dubi-*

bitetur, an sit expressa in jure, admittenda est, semper ac communis sensus Doctorum, & consuetudo eam firmaverit. 378
Q. *Quotuplex sit Irregularitas?* 379
Sectio I. *De Irregularitatibus ex Delicto.* 380
§. I. *De Irregularitate ex Homicidio.* ibid.
Prop. I. *Ex homicidio injusto, & directe voluntario, etsi occulto contrahitur Irregularitas omnium gravissima.* 381
Q. I. *An mandans, vel consulens fiat irregularis, si ante factum revocet mandatum vel consilium?* 382
Prop. II. *Qui opus licitum facit, & omnem diligentiam adhibet, ne homicidium sequatur, irregularis non fit, etiamsi ex suo facto homicidium accidat.* 383
Prop. III. *Qui dat operam rei, quae sit illicita, non quia periculosa ad mortem, sed alio ex capite, non fit irregularis, homicidio ex tali actione illicita secuto, nisi sit graviter negligens.* 384
Prop. IV. *Qui dat operam rei illicitae, & periculosae ratione homicidii, etsi ad effectum impediendum omnem diligentiam adhibeat, secuto homicidio, Irregularitatem contrahit. Ita D. Thomas, Fagnanus, Navarrus, Cabassutius, Pontas, Concina, aliique.* 386
Q. II. *An Irregularis fiat, qui absque abscis-*

scissione membrum debilitatum, & ineptum alteri reddit ad munus suum exercendum? 389
Q. III. *An qui alteri injuste partem membri amputaret, irregularis esset?* 390
§. II. *De Irregularitate ex delicto Haeresis, & Apostasiae.* ibid.
Prop. un. *Haeretici, Apostatae a fide, eorumque fautores, etsi occulti, sunt irregulares. Ita multi.* ibid.
§. III. *De Irregularitate, quae contrahitur ex violatione sacramenti.* 399
Prop. I. *Baptizatus, Rebaptizans, & Acolythus rebaptizanti ministrans, irregulares sunt, si baptismi reiteratio fiat.* ibid.
Q. I. *An excusetur ab Irregularitate Parochus, qui generatim atque indistincte iterum sub conditione in Ecclesia baptizat quoscunque, raptim inter angustias urgente periculo, ab obstetricibus domi baptizatos?* 394
Prop. II. *Qui in casu non permisso suscipit Ordinem sacrum, matrimonio constante: vel etiam non sacrum, Episcopo non approbante, fit irregularis.* 395
Prop. III. *Qui serio, scienter, & quasi ex officio sacrum quem non recepit Ordinem, exercet, est irregularis.* 396
Q. III. *An haec Irregularitas contrahatur non solum a Clericis, verum etiam a laicis, qui sacrum Ordinem praesumunt exer-*

exercere. 397

§. IV. *De Irregularitate, quae oritur ex violatione censurae.* 398

Prop. un. *Clericus ligatus majori excommunicatione, suspensione, vel interdicto, etiamsi toleratus sit, & occultus, Irregularitatem incurrit, exercendo solemniter seu ex officio actum majoris Ordinis, nisi legitima ratio excuset.* ibid.

Q. *An ligatus duplici censura, si sacros Ordines exerceat, duplicem incurrat Irregularitatem?* 400

Sectio II. *De Irregularitatibus ex Defectu.* ibid.

§. I. *De Irregularitate, quae oritur ex defectu animi.* 401

§. II. *De Irregularitate ex defectu corporis.* 406

Q. *An occulta corporis vitia Irregularitatem inducant?* 409

§. III. *De Irregularitate ex defectu fortunae.* ibid.

Q. I. *Quaenam sit Irregularitas ex defectu natalium?* ibid.

Prop. unica. *Illegitimi omnes tum naturales, tum spurii irregulares sunt, etiamsi eorum illegitimitas occulta sit.* 410

Q. II. *An pro illegitimis habendi sint nati ex conjugibus, quorum alter post consummatum matrimonium ex communi consensu professus erat Religionem, aut ad sacros Ordines ascen-*

scenderat? 411

Q. III. *An infantes expositi, quorum parentes ignorantur, illegitimi, & consequenter irregulares habendi sint?* 412

Q. IV. *Quinam censendi sint legitimi relative ad Ordines, & ad beneficia?* ibid.

§. IV. *De Irregularitate ex defectu libertatis.* 414

§. V. *De Irregularitate ex defectu bonae famae, seu ex infamia.* 416

Prop. I. *Infamia sive juris, sive facti Irregularitatem inducit.* 418

Prop. II. *Nullum crimen, etsi ipso jure ut infame damnetur, infamiam & Irregularitatem parit, quamdiu manet occultum, aliquibus exceptis.* 419

Prop. III. *Crimina, quae ex juris constitutione infamiam adnexam habent, etsi notorie committantur, non omnia statim, & ante judicis sententiam infamiam inducunt, sed quaedam atrociora.* ibid.

Prop. IV. *Peccatum grave notorium cum perseverantia commissum, etsi in jure non notetur infamia; inducit tamen infamiam quae dicitur facti, & Irregularitatem.* 420

Prop. V. *Vilissima officia histrionum, carnificum, lictorum exercentes infames sunt, & irregulares.* 421

§. IV. *De Irregularitate ex defectu sacramenti.* ibid.

Q. I.

Q. I. *Quid, & quotuplex sit Bigamia?* 422
Prop. unica. *Ex Bigamia oritur Irregularitas, quoties matrimonium etiam invalidum cum pluribus, vel cum una ab alio cognita, vel post votum solemne castitatis consummatur.* 423
Q. II. *Si adsint tres recensitae Bigamiae species, quot Irregularitates inducantur?* 426
§. VII. *De Irregularitate ex defectu lenitatis.* ibid.
Prop. un. *Ex Lenitatis defectu contrahitur Irregularitas, quoties homicidium, vel mutilatio, quamvis juste, etiam quoad accelerationem voluntarie, & proxime caussatur.* ibid.
Q. I. *Quinam censeatur cooperari proxime, quinam vero remote?* 327
Q. II. *Num medicinam, aut chirurgiam exercentes, fiant irregulares, si mors sequatur?* 431
§. VIII. *De Irregularitatis Subjecto.* 433
Prop. Un. *Ex delicto ante baptismum patrato, suscepto baptismo, nulla Irregularitas consurgit: ex defectu vero post baptismum consurgit Irregularitas, si ante baptismum contractus fuerit, excepto lenitatis defectu.* 434
§. IX. *De Conditionibus requisitis ad incurrendam Irregularitatem.* 436
Prop. I. *Irregularitas ex defectu semper incurritur, etiamsi defectus sit occultus, & in-*

& inculpabilis. ibid.
Prop. II. *Ad incurrendam Irregularitatem ex delicto requiritur peccatum grave, externum, consummatum, &, excepto homicidio, certum; quamvis sit penitus occultum.* ibid.
Prop. III. *Ignorantia sive juris, sive poenae ab incurrenda Irregularitate non excusat.* 438
§. X. *De Irregularitatis Effectibus.* 440
§. XI. *De Irregularitatis Dispensatione.* 446
Q. I. *Quomodo cesset Irregularitas?* ibid.
Q. II. *Quinam dispensare possint ab Irregularitatibus?* 447

Tractatus de Castitate, eique oppositis Vitiis. 449

Cap. I. *De Castitate.* ibid.
Q. *Quid, & quotuplex sit Castitas?* ibid.
Cap. II. *De Vitiis Castitati oppositis.* 450
Q. I. *Quae Vitia opponantur Castitati?* ibid.
Q. II. *Quomodo dividatur Luxuria?* ibid.
Q. III. *Num Luxuria sit peccatum mortale, & capitale?* 451
Q. IV. *Quot sint species Luxuriae perfectae naturalis?* ibid.
§. I. *De Simplici Fornicatione.* 452
Q. I. *Quaenam sit simplex Fornicatio?* ibid.
Q. II. *Num simplex Fornicatio sit peccatum mortale a Deo prohibitum?* ibid.
Q. III. *Num sit etiam naturae lege prohi-*

hibita? ibid.
§. II. *De Stupro.* 454
Q. I. *Num Stuprum sit grave peccatum?* ibid.
Q. II. *Num stupri peccatum sit violatio puellae sub cura parentis exsistentis, si ipsa consentiat?* ibid.
§. III. *De Adulterio.* 456
Q. I. *Num Adulterium sit grave peccatum?* ibid.
Q. II. *An adulterium committat conjux, si, consentiente marito, rem habeat cum alio?* ibid.
§. IV. *De Raptu.* 457
Q. I. *Quid sit Raptus, prout est luxuriae species?* ibid.
Q. II. *Quale, & quotuplex peccatum sit Raptus?* 458
§. V. *De Incestu.* 459
Q. I. *Quid sit Incestus?* ibid.
Q. II. *Num Incestus sit grave peccatum?* ibid.
Q. III. *Num omnia Incestus peccata ejusdem sint speciei?* ibid.
Q. IV. *Num copula cum cognatis spiritualibus sit vere incestus, & luxuriae species distincta?* 460
§. VI. *De Sacrilegio.* 461
Q. I. *Quid sit Sacrilegium, prout est species luxuriae?* ibid.
Q. II. *Quid veniat nomine rei sacrae?* ibid.
Q. III. *Quid intelligatur nomine personae sacrae?* ibid.
Q. IV. *Quid significetur nomine loci sa-*

cri? 462
Cap. III. *De Peccatis Luxuriae contra naturam consummatae.* ibid.
§. I. *De Pollutione seu Mollitie.* 463
Q. I. *Quid sit Pollutio voluntaria?* ibid.
Q. II. *Num Pollutio voluntaria sit per se, & naturâ suâ mala?* ibid.
Q. III. *An, & quando licitum sit ponere actionem, qua praevideatur secutura Pollutio?* ibid.
Q. IV. *Num liceat desiderare Pollutionem in somno ob finem honestum, puta sanitatis?* 464
§. II. *De Bestialitate.* 465
Q. *Quid Bestialitas, & quale peccatum sit?* ibid.
§. III. *De Sodomia.* ibid.
Q. I. *Quid, & quale peccatum sit Sodomia?* ibid.
Q. II. *Num in peccato Sodomiae circumstantia consanguinitatis vel affinitatis addat speciem incestus in Confessione explicandam?* 466
§.IV. *De Innaturali concumbendi Modo.* ibid.
Q. I. *Quid, & quale peccatum sit?* ibid.
Q. II. *An specie differant inter se omnia peccata contra naturam?* ibid.
Q. III. *Quodnam ex his sceleribus gravius sit, atque enormius?* 467
Cap. IV. *De Peccatis Luxuriae non consummatae.* ibid.
Q. I. *Num tactus, oscula, amplexus impu-*

pudici, turpes gestus &c. sint peccata gravia? 468
Q. II. *Quale peccatum sit turpia loqui, canere, legere, vel audire?* 469
Cap. V. *De Luxuriae filiabus, ejusque Remediis.* ibid.

Tractatus de Jejunio. 471

§. I. *De Jejunii Cibo.* 472
Q. I. *A quibus Cibis Jejunii tempore sit abstinendum?* ibid.
Q. II. *Quot peccata committat qui pluries die jejunii carnes comedit?* 474
§. II. *De Unica Jejunii Refectione.* 475
Q. I. *An ad substantiam jejunii ecclesiastici requiratur, ut intra spatium diei naturalis nonnisi unica fiat Refectio?* ibid.
Q. II. *An qui pluries die jejunii comedit, servato ciborum delectu, pluries etiam peccet?* ibid.
Q. III. *An Refectio unica debeat esse moraliter continua?* 476
Q. IV. *An prohibeatur potus die jejunii?* 477
Q. V. *An Electuaria frangant jejunium?* 478
Q. VI. *Num Cocolatis jejunium frangat?* 479
§. III. *De Refectionis Hora.* ibid.
Q. I. *Quanam hora Refectio sumi possit?* ibid.
Appendix *De Serotina Collatione seu Refe-*

fectiuncula. 480
Q. I. *An serotina Collatio seu Refectiuncula sit licita?* ibid.
Q. II. *Quaenam possit esse quantitas cibi in Refectiuncula sumendi?* ibid.
Q. III. *An in Collatione serotina non solum cibi quantitas, sed etiam qualitas attendenda sit?* 481
Q. IV. *An in caenula liceat edere ova, & lacticinia, cui haec sunt permissa?* ibid.
Q. V. *An liceat in caenula sumere papparium, sive cibum per coctionem compositum ex octo unciis panis mixti cum aqua, sale, & oleo?* 482
§. IV. *De Caussis a Jejunio excusantibus.* 483
Q. I. *Quaenam sint caussae a jejunio excusantes?* ibid.
Q. II. *An dispensatus ab esu carnium, sit etiam dispensatus ab unica comestione?* 486
Q. III. *An dispensatus ad carnes poterit in eadem mensa simul comedere carnes, & pisces?* 487
Q. IV. *Quinam possint dispensare in lege jejunii?* ibid.

F I N I S.

Men-

Mendorum Correctio.

Pag. 127.	v. 7.	nisi	*leg.*	si
145.	v. 12.	mala		malum
209.	v. 13.	laboris merces		vitae stipendium
218.	v. 29.	praescribendo		praescribendi
222.	v. 9.	locavit		conduxerat
229.	v. 9.	impendendi		impendere
271.	v. 29.	percellerentur		percelleretur
284.	v. 27.	esset		est
288.	v. 8.	incurri		incurrere
322.	v. 4.	in		ad
482.	v. 22.	*uncis*		*unciis*

